DE

NUMERO ANAPAESTICO

QUAESTIONES METRICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RICARDUS KLOTZ

LIPSIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXIX.

VIRO ILLUSTRI AC SUMME VENERABILI

ROBERTO OTTONI GILBERT

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI REGI SAXONIAE A CONSILIO
ECCLESIASTICO AC SCHOLASTICO SANCTIORE
ORDINUM SPLENDIDORUM EQUITI CET. CET.

FIDO PATRIS AMICO SUOQUE FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

VITA.

Ego, Ricardus Klotz, patre Reinholdo philologiae classicae in universitate litterarum Lipsiensi professore ordinario et matre Aemilia de gente Mueller natus sum in villa patris Kleinzschocheriana prope Lipsiam sita anno huius saeculi quadragesimo sexto die Aprilis tertio.

Parentes, quos etiam nunc vivos colo, cum in ceteris rebus omnibus optime mihi consuluerunt, tum maxime eo, quod me primis litterarum elementis ab Augusto Forker rev. min. candidato inbutum in gymnasio Nicolaitano, quod Nobbio Lipsioque rectoribus tum florebat, ad studia altiora institui voluerunt.

Itaque examen pro maturitate anno 1865 superavi. Atque inde ab hoc tempore in academia Lipsiensi per quattuor annos studiis philologicis me dedidi patris consilio adiutus. Atque scholis praeter patris maxime interfui Georgii Curtii et, ex quo Lipsiae versabatur, Friderici Ritschelii philologicis, Drobischii et Ahrensii philosophicis, Zarnckii germanicis, Brockhausii sanscriticis, Roscheri, Wuttkii, G. Voigtii, Eberti, Brandesii, Pueckerti historicis, Overbeckii archaeologicis, Eckseinii paedagogicis. Denique nominandus est Gustavus Haenel, qui mihi non solum de caussis Romanorum publicis exposuit, sed ipsos iuris romani fontes aperuit. At cum omnia ad studia graeca et latina

revocare consilium esset, imprimis gaudeo mihi licuisse, ut et seminarii regii philologici per annum et sex, per quos senioris munere functus sum, menses et seminarii regii paedagogici per unum annum socius essem itemque societatibus Ritschelii et Curtii interessem, quorum virorum eruditioni atque doctrinae quid debeam numquam obliviscar. His igitur sicut ceteris omnibus summam gratiam habeo semperque habebo.

CONSPECTUS CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.

Cap. I.

Introductio.

§. 1.

Scio equidem nonnullis me posse videri modestiae fines transgredi, cum de numero anapaestico quaerere instituam. Quod qui hoc tempore suscipit, habet sane qui antecesserunt maxime insignes et qui quaecunque aggressi sint ea ita absolvere soleant, ut nihil sit quod addas, vel si quid relictum sit id diiudicare vires tironis superet. Neque ego is sum, qui omnia quae ad anapaestos spectent me putem posse iam nunc enucleare. Attamen, dummodo argumentum hoc multiplex ita coerceam, ut hoc libello non agam nisi de legitimis qui dicuntur anapaestis graecis, contigisse mihi spero, ut quod tanti viri inquisivissent id non frustra recolerem.

Nam *Ricardus Bentleius,* a quo viro in quavis artis philologicae disciplina laudatissimo huius quoque disputationis initium sumi debet, in transitu tantum epist. ad Millium p. 24 (ed. Lips. 1781, quam curavit C. A. Boettiger p. 274) et Phalarid. p. 181 ed. Ribbeck. periodos anapaesticas ostendit uno tenore artissime continuari, ut ordo ordini applicetur, admissis neque syllaba ancipiti neque hiatu; quod idem cadere in omnes omnino periodos longo demum tempore post Bentleium perspectum est.

Atque *Ricardus* quidem *Porsonus,* Bentleii longo ex intervallo aemulus, in praefatione ad Hecubam Eurip. p. 45 sqq. singula nonnulla bene observavit nec tamen ulla alia nisi calculi ratione adiutus. Quare *Godofredum Hermannum* acerbissimum invenit censorem element. doctrinae metricae p. 371 sqq., qui eum docuit paucitatem exemplorum non facere, ut quid illicitum existimari deberet, nisi aliae rationes evincerent. Ceterum cum ille de tetrametro tantum egisset, Hermannus iam ceteros et tragoediae et comoediae anapaestos perlustravit eorumque duo esse genera constituit legitimum et liberum, quippe quae certis caussis inter se differrent. Denique idem Hermannus praeterquam quod ad ea, quae a Porsono recte observata videbantur, exempla, quae cura maxime *Gaisfordi* (ad Hephaestionem p. 279 sqq.) suppeditaverat, spectavit probataque contulit sat multa, duo potissimum nova addidit de caesura dimetri et tetrametri dipodica plerumque admissa raroque neglecta et de severissima singularum periodorum responsione. Atque in priore illa quaestione eum interdum quae esset vera ratio non assecutum video; at eam,

quam docuerit legem antistrophicam, quam eandem *Augustus* quoque *Boeckhius* probavit, cf. Antig. ed. alt. Berol. 1843 p. 229 et 253, veram esse puto; quamquam multi sunt qui secus existiment, et ei qui dipodiam vel basim anapaesticam toti tetrapodiae respondere posse putant, cf. *Henricus Weilius* in Jahni annal. 1859 p. 723, et *Augustus Rossbachius* atque *Rudolfus Westphalius*, qui periodum tantum periodo respondere volunt ita, ut perinde sit, quot ordinibus periodus quaeque constet; id quod mihi videtur nihil aliud esse, nisi responsionem plane negare. Cf. maxime ea, quae de anapaestis inter cantica positis dixerunt Metr. gr. II² p. 416 sqq.

Ceterum eorundem artis metricae in ea quidem parte, quae est anapaestorum II² p. 397 sqq., de regulis metricis vix quidquam invenies, quod non iam ab Hermanno prolatum sit. Sed per totum hunc librum multa sunt, quae huc spectant, dispersa eaque minime neglegenda.

Denique *Hermannus Buchholtz* (de Euripidis versibus anapaesticis, Cotbus. 1864), qui ex Aug. Boeckhii disciplina prodiit, quamquam de liberioribus Euripidis versibus scripsit, nonnulla quae item ad legitimos pertinent attigit.

Praeter hos qui anapaestos tractaverit confiteor mihi notum esse neminem.

Cap. II.

De anapaestorum legitimorum usu ac natura.

§. 2.

In universum.

Quid interesset inter anapaestos legitimos et liberos, Hermannum optime demonstrasse iam vidimus. Licet igitur hac in re recurrere ad Hermanni el. p. 580. Sed cum ab legitimis minimo discrimine ad liberiores formas transeatur, singula carmina nondum semper constat utrum libera an legitima sint. Quare ut singula quaeque diiudicemus, alia ineunda est ratio qua legitimi anapaesti segregentur ab liberioribus. Constat enim legitimorum usum non sine corporis motu esse. Itaque sicut carmina embateria anapaestico numero componebantur, anapaestorum legitimorum in tragoedia usus tum fuit, cum sive chorus sive histrio adveniebat sive exibat. Ex quo fit, ut duo diversa sint anapaestorum horum genera

1) *adventoriorum,* ut ita dicam, cum chorus in orchestram ingreditur i. e. in parodo, quos *parodicos* licet dicere, vel cum quis actor in scaenam prodit, cuius adventus a choro sive choryphaeo nuntiatur, quos appellari volo *episodicos,* cum ἐπείσοδος vulgo de histrionibus dicatur, πάροδος de caterva.
2) *finalium,* cum aut chorus exit in totius fabulae fine aut quis alius post singulos actus.

Quibus tertium quoddam genus accedit, cum anapaesti adventorii vel finales continuantur intra singulas carminis proximi strophas.

Itaque si hanc rationem persequimur, laudandus est *Leopoldus Schmidtius* (de parodi in tragoedia graeca notione, Bonnae 1855), qui complura enarravit, de quo nunc agam.

§. 3.

De anapaestorum legitimorum in tragoedia usu.

Atque primum quidem anapaestorum parodicorum usus late patet. In parodo enim poetae formam principalem maxime variare studuerunt. Quare intellegitur, cur aliam quaeque parodus anapaestorum praebeat rationem.

Principalis enim, quam modo dixi, forma sine dubio ea fuit, ut prologo nondum anteposito chorus carmen illud anapaesticum recitans ingrederetur usque ad certam in orchestra sedem; quam ubi occupavit, carmen, quod aliis numeris constat, parodicum cantat. Talis est parodus *Aeschyli supplicum* 1 sqq. — Anapaesti (1 — 40), deinde canticum.

Sed cum dialogus vel diverbium adderetur, actio ita instituta est, ut post carmen chori primum histrio quis adveniret, cuius aditum anapaesti episodici comitarentur. Itaque fit haec parodus *Persarum* 1 — 154 parodici. canticum. episodici.

Atque anapaestos illos parodicos et episodicos inter se coniungere consilium fuit. Quare Aeschylus semel rem ita instituit, ut anapaestos episodicos statim ad parodicos applicaret ordine in hunc modum inverso: *Ag. 40 — 259* parodici (40 — 82), episodici (83 — 104), canticum, cui parodo prologus antecedit trimetrorum iambicorum. Alia ratio, qua parodicos et episodicos coniunctos videmus, haec est, ut inter singulas cantici strophas singulae periodi anapaesticae ita ponantur, ut tres primae parodicae, ultima episodica sit. *Sophoclis Antig. 100* sqq. a parod. a′ parod. b parod. b′ episod.

Ceterum Sophocles atque Euripides id novasse videntur, ut anapaestica haec carmina non solum a choro, sed etiam a singulis actoribus recitanda curarent. Id primum Sophocles in Aiace sic instituit, ut anapaesti parodici (134 — 171), qui stropharum pari (172 — 193) et epodo (194 — 200) antecederent, anapaestis inter Tecmessam et chorum divisis quodammodo continuarentur, quibus alterum stropharum par interponeretur (233 — 255): *Ai. 134 — 262* parod. aa′. b anap. cc′ anap.

Deinde anapaesti hi ad parodicos applicati manserunt etiam tum, cum proprii illi parodici deessent: *Philoct. 135 — 218* a anap. a′ anap. bb′ anap. cc′.

Atque id ipsum curavit is, qui Rhesi parodum composuit: *Rhes. 1 — 51* anap. chori et Hectoris. a anap. Hectoris a′.

Atque ipse *Euripides* similiter parodum *Medeae* finxit (96 — 212). Ibi enim inter Medeae et nutricis anapaestos proodus, stropha, antistropha chori inseruntur, in fine est epodus. Anapaesti igitur non iam ab ipso choro neque a choreutis et actoribus alternantibus, sed ab illis solis

recitantur, ut in Philoctetae parodo. Omnino enim Euripides anapaestos illos a choro recitatos non iam adhibuit praeter unam *Hecubae* parodum 59—215. Chori enim versus sunt 98—153 eiusque advenientis *), quibus antecedit planctus Hecubae monodicus (59—97), postponitur planctus alius Hecubae et Polyxenae mutuus (154—215), uterque liberis anapaestis constans. Liberis enim anapaestis Euripides et Sophocles planctus parodo confines componere solent. Itaque factum est, ut eidem ad similitudinem legitimorum inter cantici ipsius parodici strophas insererentur velut Alc. 78—135 et in Oed. Col. 117—254 id quod minus versu 146 intellegitur, quo La habet *δηλῶ δ' · οὐ γὰρ ὧδ' ἀλλοτρίοις*, quam v. 176 *ὦ ξεῖνοι, μὴ δῆτ' ἀδικηθῶ*. Sic ratio intellegitur, cur eidem poetae complures parodos lamentabiles, ut sic graecum *θρηνῳδικούς* exprimam, finxerint i. e. monodias, quae a choro et ab actoribus alterna vice nullo stropharum pari interiecto cantantur. Cf. Soph. Electr. 86—250. Eur. Iphig. Taur. 123—235.

Sed Euripidis proprium esse videtur his monodiis parodicis legitimos anapaestos admiscere, quos in Hecubae parodo ab ipso choro recitatos modo agnovimus, quosque in *Troadibus* anteponere maluit. Nam habemus *Troad. 98—234* parodum lamentabilem anapaesticam, quae incipit ab legitimis versibus, qui ab Hecuba dicuntur **), quibus tria stropharum paria adiunguntur, quorum primum efficit monodiam Hecubae (122—137 = 138—152), alterum et tertium chori et Hecubae amoebaea sunt (153—175 = 176—196. 197—213 = 214—229). Denique tota parodus quae ab legitimis incipit, finitur legitimis, ut in antiquissima illa parodi forma, episodicis (230—234).

Idem initium parodi est *Ionis 82—237.* Quattuor enim periodos anapaesticas legitimas 82—111 excipit Ionis monodia, quae duabus partibus continetur, uno stropharum pari glyconeo (112—143) et anapaestis liberis (144—183). Tum demum chorus ingreditur. Atque unum quidem stropharum par logaoedicum ab hemichoriis (184—204), alterum a choro vel singulis hemichoriis choreutisve et ab Ione alternantibus canitur, atque ita quidem, ut chorus numerum logaoedicum servet, ille anapaestis respondeat, ut e versibus intellegitur 233 et 226, liberioribus (205—327).

Simile denique consilium eius fuisse videtur, qui *parodum Promethei* composuit 88—192, cuius egregia est Leop. Schmidtii explicatio p. 30 sq.

Postremo *Iphigeniae Aulid.* initium restat, quod alii ab Euripide abiudicaverunt, alii anapaestis liberioribus constare voluerunt. Neque enim usque adhuc quisquam demonstravit, quae esset horum versuum ratio ac condicio. Sed Euripidis vel si minus ipsius Euripidis, at poetae

---

*) Nam v. 145 Aug. Nauck, stud. eurip. I (Petersb. 1859) p. 4 emendavit *ἷξ' Ἀγαμέμνονος ἵκτις* (libri *ἱκέτις*) *γονάτων* et v. 110 *οἶσθ' ὅτε χρυσέοις* sic scanditur ‒ ◡ ◡ ‒ ‒, ut Troad. 573 *παρέδρος χαλκέοις*.

**) Nam *δαίμονος ἀνέχου* v. 101 facile mutabis in *δαίμονος ἄνσχου*.

cuiusdam, qui non multum post eum vixit, consilium fuisse potuit ordinem solitum eum, ex quo prologum trimetrorum iambicorum anapaesti legitimi legitimosque liberi sequebantur, ita invertere, ut anapaesti legitimi essent ante trimetros, liberi ante ipsum carmen melicum. Nam anapaestorum legitimorum qui inter trimetros ponuntur exemplum est Prometh. 93 sq. 121 sq. Atque anapaesti illi Iphig. Aul. 1—48 necessario legitimi sunt, cum tam accurate ad leges illas, quas infra demonstraturus sum, compositi sint, ut ne posterioris quidem temporis esse videantur. Ceterum hic ordo rationem habet non malam, si *exodum* comparas.

Nam antiquo tempore exodus ita instituta esse videtur, ut eodem modo quo incedentis chori anapaesti legitimi carmini melico antecederent, canticum ultimum anapaesti sequerentur exeuntis. Sed cum diverbium augeretur, factum est, ut inter carmen, quod deinceps stasimorum ultimum vocabatur, et anapaestos finales sive exodicos trimetri iambici interponerentur. Ea enim forma, quam inverso scilicet ordine in illa Iphigeniae Aul. parodo inveniri suspicati sumus, in plerisque fabulis extat, nisi quod fieri potest, ut diverbii initio itaque post canticum si quis in scaenam prodeat anapaesti episodici iniiciantur. Sed eandem, quam inter diversas parodi partes, condicionem intercedere inter carmen exodicum et anapaestos finales comprobare licet *exodo Eumenidum* 916 sqq., ubi Rossbach. et Westphal. II² p. 417 anapaestos inter stasimi carminis strophas positos esse volunt, cui opinioni maxime Aristotelis illud notissimum poet. 12 obstat: *στάσιμον μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου.* Sed res tum demum perspicitur, cum anapaestos Minervae carmini exodico insertos esse putemus eique ad similitudinem eius parodi composito, quae inter singulas strophas anapaestos habeat eos, qui ab histrione aliquo recitentur. Cf. Leop. Schmidt p. 27.

Deinde sicut anapaesti parodici, quorum locus ante carmen parodicum fuit, inter singulas carminis strophas continuantur, episodici quoque et finales, qui sunt ante planctum, interdum sic adhibentur, ut in spatiis, quae inter singulas planctus partes intersunt, ad orationem altius elatam moderandam aptissimi sint, velut ad tres finalium periodos quinque aliae *choeph. 306* sqq. atque ad versus episodicos *Ant. 801—805* duae periodi post utramque stropham primam utraque 817 et 834 eodemque modo ad episodicos *Androm.* 494—500 duo Menelai systemata in planctu sequenti 515 et 537 applicantur. Denique in eo numero habendi sunt anapaesti Admeti *Alc. 861. 878. 895. 911.* Atque anapaestorum episodicis vel finalibus fortasse non antecedentibus usus est *Agam. 1448* sqq., nisi forte eae, quae Clytaemnestrae sunt, anapaesticae periodi ad ea adiunguntur, quae chorus profert, cum Agamemnonis et Cassandrae cadavera proferuntur.

Omnino autem horum anapaestorum ad legitimos se applicantium alia condicio esse videtur apud Aeschylum, alia apud Sophoclem et Euripidem. Nam cum ceteri legibus severissimis adstringantur, anapaesti quos Aeschylus carminibus admiscuit a legitimorum formatione aliquantum

abhorrent, praesertim cum paroemiacum spectemus, certe illi quidem, qui in illo Agamemnonis planctu sunt.

Postremo de anapaestis, qui sunt *Hippol. 176 — 266* — sive epodicos, qui antecedunt inde a v. 170 continuari Euripides voluit, sive pristinam parodi formam ita mutare, ut primo loco esset canticum chori glyconeum (121 — 169), deinde anapaesti episodici, quos anapaesti Phaedrae et nutricis legitimi loco parodicorum sequerentur — difficillima quaestio est. Nam Phaedrae et nutricis anapaesti ne ipsi quidem inter se pares sunt. Facile enim intelleges verba Phaedrae insanientis, sicut Medeae in Medeae prologo, numero esse multo fortiora et liberiora, id quod dialecto quoque dorica iuvatur; contra ea omnia, quae a nutrice dicantur ad solandum mitigandumque, modico et plano numero procedere, usque dum ipsa Phaedra inde a v. 243 tumultu mentis sedato numeroque illius orationi accommodato cum nutrice concordet. Videmus igitur in anapaestis Medeae doloribus oppressae et in Phaedrae furiis agitatae summam animi perturbationem exprimi pluribus dissolutionibus. Quare intellegitur hos non valde dissimiles esse liberis, contra nutricum versus, quibus animus tranquilletur, formis maxime aequalibus constare.

§. 4.

Conspectus anapaestorum et in tragoedia et in comoedia legitimorum.

Liceat mihi sub finem huius disputationis, cuius unum consilium fuit formas severioribus metricis legibus adstrictas ab aliis secernere, omnes versus notare quos legitimos esse volo nec solum parodicos, sed etiam episodicos, quorum apud Rossb. Westph. II^2 p. 415 pars omnino omissa est, pars erroribus typographicis vitiata. Sunt igitur

I. Adventorii 1. *parodici*

a) *Aesch.* suppl. 1 — 40. Pers. 1 — 64. Ag. 40 — 104. Contra Promethei qui sunt parodici num omnes ab Aeschylo facti sint dubium est, qua de re infra agemus.

b) *Soph.* Ai. 134 — 171 et ut statim ei qui applicentur afferam 201. 233. 237. Antig. 110. 127. 141. 155. Philoct. 144. 159. 191.

c) *Eurip.* Hec. 98 — 153. Troad. 68 — 121. 230 — 234. Ion. 82 — 111. Med. 96. 139. 160. 184. Hippol. 170 — 266. Iphig. Aul. 1 — 48. Euripidem igitur apparet parodicis anapaestis legitimis modo usum esse in fabulis prioris temporis quae sint, excepto Iphigeniae Aulid. initio, de quo valde dubitari iam vidimus.

Rhes. 1 — 22. 34 — 40.

2. *Episodici* praeter eos, quos iam notavimus parodo adiunctos Ag. 83. Pers. 140. Ant. 155. Troad. 230. Hippol. 170 — 175 et praeter Iphig. Aul. 590 — 606, de quibus infra agendum erit, hi sunt

a) *Aeschyli* sept. 861. Pers. 552. suppl. 966. Ag. 782. Prom. 276, qui tamen dubii sunt, cf. infra §. 18. 561.

b) *Sophoclis* Oed. tyr. 1297. Antig. 376. 524. 626. 801. 1257. Philoct. 1409. Sed quos Rossb. Westph. addunt versus Trach. 971 liberiores sunt. Ceterum numerus horum anapaestorum apud Sophoclem multo maior esset, quam Aeschyleorum, nisi Sophocles ad hoc idem consilium exsequendum haud raro trimetris iambicis uteretur, quod idem Euripides interdum facit, uno loco tetrametris trochaicis.

c) *Euripidis* sunt Alc. 29. 740. 861. Nam hos ultimos versus, quos Rossb. Westph. consilio fortasse omiserunt, episodicos esse etiam e scholio quod est optima auctoritate apparet hoc: *ἔρχεται ὁ Ἄδμητος ἀπὸ τοῦ τύμβου καὶ οὐ τολμᾷ εἰσιέναι.* Hipp. 1283. 1342. Androm. 494. 1166. 1226. Heraclid. 288. suppl. 794. 980. 1114. Troad. 230. 568. 1118. 1251. Ion. 1242. El. 987. 1233. Herc. fur. 442. Phoen. 1480. Orest. 349. 1113. Iphig. Taur. 456. — Quibus accedunt

II. Finales 1. *totius fabulae* in exitu

a) *Aeschyli* sept. 1054. choeph. 1066. Prom. 1040.

b) *Sophoclis* Ai. 1402. El. 1508. Oed. Col. 1751. Ant. 1348. Trach. 1259. Philoct. 1445.

c) *Euripidis* Alc. 1159 — 1163 = Andr. 1284 = Hel. 1688 = Med. 1416. ib. 1389. Hec. 1293. El. 1292. Heraclid. 1053. Herc. fur. 1427. suppl. 1232. Hipp. 1462. Iphig. Taur. 1490 — 1496. ib. 1497 — 1499 = Or. 1691 = Phoen. 1760. Or. 1688 — 1690. — Rhes. 993.

2. *post singulos actus*

a) *Aesch.* Pers. 532. 623. suppl. 625. sept. 822. Ag. 255. 1331. choeph. 306. 719. 855. Eum. 307. — Prom. 877. Qui apud Aeschylum frequentissimi sunt anapaesti non inveniuntur

b) apud *Sophoclem* nisi bis: Ai. 1163. Ant. 929 atque apud

c) *Euripidem* nisi ter Med. 759. 1081. Troad. 782 i. e. in Sophoclis et Euripidis fabulis prioribus, nisi quod accedit Iphig. Aul. 1276.

Ceterum tertii generis quae singula sunt exempla omnia iam supra laudavimus.

Denique eisdem legibus periodi in comoedia anapaesticae adstringuntur, maxime systemata illa, quibus versus tragici irridentur nec minus tetrametri, quorum maximus est apud Aristophanem usus quorumque indoles ab Rossb. Westph. II² p. 419 sq. bene descripta est.

Nam quod his omnibus commune est, idem est proprium anapaestorum omnino legitimorum omnium, i. e. maxima numeri aequabilitas, quae eo potissimum constat, quod neque proceleusmaticus pro anapaesto admittitur (⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ pro ⏑ ⏑ –́) neque anapaestus et is qui pro eo sicut temporis aequalis ponitur dactylus ita copulantur, ut proceleusmaticum ex se medium gignant (– ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ –́), id quod Marius Victorinus p. 108 ed. Gaisf. disertis verbis dicit.

Omnino autem inter anapaestos tragicos et comicos hoc unum intercedit discrimen, quod tragoediae sunt certissimae quae numquam laeduntur caesurae, quae quidem in universum si spectamus eaedem a comicis servantur, sed laxiore quodam modo.

Cap. III.

De membris tetrametri et hypermetri componendis.

§. 5.

De ordinibus anapaesticis.

Numerus horum anapaestorum est quadruplus. Habemus enim plenos quattuor morarum pedes, non trium morarum cyclios, qui sunt numeri sescupli. Atqui cum maximus numeri quadruplaris ordo modum pentapodiae non excedat, cf. Westphal I[2] §. 47, apparet et tetrametris et hypermetris periodos effici ex compluribus membris constantes. Sunt autem ordines tres

1) qui *paroemiacus* dicitur, tetrapodia catalectica, quam in compositionibus quae κατὰ στίχον dicuntur usurpatam scimus, cuius quidem compositionis exempla tam rara sunt, ut certas leges dignoscere non magis liceat quam tripodiae, cuius usus in embateriis et prosodiis fuit cf. Rossb. Westph. II[2] p. 400 et p. 388. Semper denique eius locus est in anapaesticarum periodorum apodosi, cuius protasis est

2) *dimeter* sive tetrapodia acatalecta, quod fit in tetrametro:

protasis	apodosis
⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́	⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ –́
tetrapodia acatal.	tetrapodia catal.

Est igitur periodus duorum membrorum, περίοδος δίκωλος, cf. Westphal. ann. 1860 p. 213. Sed omnes periodi, quae ultra duorum membrorum modum extenduntur, non iam metra sunt, sed hypermetra, cf. Westphal Philol. 20 p. 80 et p. 273 quod idem repetit in artis metricae altera editione II p. 264, maxime autem I p. 665 — 668.

Haec sunt ea, quae Hermannus systemata appellavit, quod nomen latius patere et ad omnes etiam eas, quae compluribus periodis continerentur, strophas pertinere Carolus Lachmannus iam intellexit, quod ipsum ex titulo apparet, quem libris de tragoediae canticis scriptis quattuor anteposuit: de choricis systematis tragicorum graecorum, Berol. 1819, cf. maxime inde a p. 8.

Talis autem periodus est trium membrorum, τρίκωλος, si unum membrum inter protasim et apodosim medium interiicitur*).

Si duo talia membra iniiciuntur, periodus est quattuor membrorum et.

Denique in hac compositione hypermetrica interdum invenitur

---

*) nomen quo rhythmici haec membra dixerunt non servatur. Fortasse παρεκβολή fuit, qua voce rhetores enuntiata interiecta appellant. Ceterum Aristoteles metaph. 5 extr. protasim δεξιόν, apodosim ἀριστερόν vocat, quod Latini dextrum et sinistrum membrum dicunt, quare fortasse de nomine medii membri vel μέσον κῶλον cogitabis.

3) *basis* anapaestica quae dicitur dipodia acatalecta, eaque ut videtur imprimis ante paroemiacum.

Quamquam etiam alium locum ei fuisse ex eo intellegitur, quod caesuram quae a poëtis tragicis post cuiusque tetrapodiae finem semper servatur, tueri aliter non licet, quam si dipodiae illius locum etiam alium atque ante paroemiacum fuisse sumimus, velut primo loco Ag. 83.

σύ τε, Τυνδαρέα | θύγατερ βασίλεια, Κλυταιμνήστρα.

§. 6.

De lege Bentleiana.

Quod quovis tetrametro et hypermetro una periodus efficitur, inde sequitur id quod Ric. Bentleium primum observasse dixi, neque syllabam ancipitem neque hiatum admitti nisi in fine totius periodi, qui catalecticus est. Itaque neque tribrachyn pro anapaesto $\overset{1}{\smile}\,\overset{1}{\smile}\,\overset{2}{\smile}$ neque trochaeum pro spondeo $\overset{2}{-}\,\overset{2}{\smile}$ neque creticum pro dactylo $\overset{2}{-}\,\overset{1}{\smile}\,\overset{1}{-}$ ponere licet.

Idque a Bentleio argumentatione probatum est tam perspicua, ut iure mireris, esse qui contra eum disputent. Rossbachius enim et Westphalius quamquam unum Sophoclis locum Ai. 169 *μέγαν αἰγυπιὸν ὑποδείσαντας* a Dawesio, qui *δ'* post *αἰγυπιὸν* inseruit, emendatum esse concedunt, tamen Aeschylum et syllabam dubiam et hiatum admisisse, modo lenissima sit enuntiati interpunctio, defendunt afferuntque exempla quinque haec:

Pers. 18. *προλιπόντες ἔβᾰν, | οἱ μὲν ἐφ' ἵππων*
sept. 824. *τούσδε ῥύεσθε· | πότερον χαίρω.*
Ag. 796. *ἀγέλαστα πρόσωπα βιαζόμενοι. | ὅστις*
ib. 1521. *οὔτ' ἀνελεύθερον οἶμαι θανάτου τῷδε γενέσθαι. | οὐδὲ γὰρ οὗτος*
Eum. 314. *οὔτις ἀφ' ἡμῶν μῆνις ἐφέρπει, ἀσινὴς δ' αἰῶνα διοιχνεῖ.*

Sed verba illa Ag. 1521 *οὔτ' — γενέσθαι* iam diu est ex quo Seidlerus e textu Aeschyleo dimovit, quem cum antea non secutus esset, postremo probavit Godofr. Hermannus, cuius haec sententia est, ut etsi hiatus excusationem habere videatur a pausa, tamen frigeant maxime hi versus prodantque manum interpretis rationem reddentis eorum, quae sequantur. Idque ipsum probaverunt Dindorfius, Franzius, Carsten, Paleius, Schneidewinus, Weilius, Engerus. Atque idem Hermannus post Ag. 796 *καὶ ξυγχαίρουσιν ὁμοιοπρεπεῖς ἀγέλαστα πρόσωπα βιαζόμενοι* versum paroemiacum excidisse docet maxime neglecta responsionis lege et impedita verborum structura. Nam si ad *ὁμοιοπρεπεῖς* dativus qui requiritur in illo participio est *ξυγχαίρουσιν*, totius sententiae verbum finitum desideratur. Deinde *Eum. 314* Engerus (ann. schol. Muetzelli XIII p. 778 sq.) egregie sic emendavit: *οὔτις ἐφέρπει μῆνις ἀφ' ἡμῶν, ἀσινὴς δ' αἰῶνα διοιχνεῖ.* Restant Pers. 18 et sept. 824, de quibus locis deinceps iudicabitur.

Videmus autem Bentleii observationem ita esse veram, ut ne in fine quidem sententiae hiatus dubiaque syllaba intra ipsam periodum excusentur.

Contra non mirum est, id quod in omnibus ceteris versibus fit, etiam in hoc anapaestorum genus cadere, quod in exclamatione atque allocutione hiatus ancepsque illa syllaba admittuntur, quod primum Seidlerus dochm. p. 80 perspexit. Quamquam ne id quidem saepe in legitimis fieri videmus.

Est enim unum exemplum *Aesch. Ag.* 1537 *ἰὼ γᾶ γᾶ, εἴθ' ἔμ' ἐδέξω* in anapaestis qui sunt inter planctus strophas inserti. Cui accedit *Rhes.* 747. *ἔρρει, στρατιά, πέπτωκεν ἄναξ | δολίῳ πληγῇ. ἆ ἆ ἆ ἆ | οἵα μ' ὀδύνη τείρει φονίου | τραύματος εἴσω.* At Sophocles et Euripides idem admittunt in personarum mutationibus his quinque locis:

Ant. 932 *Κρέων· κλαύμαθ' ὑπάρξει βραδύτητος ὕπερ. Ἀντιγ. οἴμοι θανάτου τοῦτ' ἐγγυτάτω τοὔπος ἀφῖκται.*

ib. 935 *Κρ. μὴ οὐ τάδε ταύτῃ κατακυροῦσθαι. Ἀντ. ὦ γῆς Θήβης ἄστυ πατρῷον*, fortasse 940 ex Dindorfi coniectura.

Oed. Col. 1757 *πατρὸς ἡμετέρου. Θησ. ἀλλ' οὐ θεμιτόν*, quibus accedunt

Med. 1396 *Μηδ. οὔπω θρηνεῖς. μένε καὶ γῆρας. Ἰάσ. ὦ τέκνα φίλτατα.* et

Eur. El. 1333 *τάδε λοίσθιά μοι προσφθέγματά σου. Ἠλ. ὦ χαῖρε, πόλις.*

Cetera exempla quae ab Hermanno et ab Rossbach-Westph. afferuntur liberorum anapaestorum sunt.

In comoedia dubium est, num huius excusationis exemplum sit.

Nam Thesm. 776 *ὦ χεῖρες ἐμαί, ἐγχειρεῖν χρὴ ἔργῳ πορίμῳ* suspecta vitii sunt verba propter hiatum in *χρὴ | ἔργῳ* et ibid. 1065 *ὦ νὺξ ἱερά | ὡς μακρὸν ἵππευμα διώκεις* aut post *ἱερά* lacunosum systema est aut liberum, cum non exstare videatur exemplum systematis legitimi, quod tribus dipodiis contineatur.

Sed hanc exceptionem ut concedamus, semper tamen tenendum est omnium omnino esse versuum minimeque velim propterea putes singulos ordines anapaesticos minus arte inter se cohaerere, id quod falsissimum esse in hac quae sequitur paragrapho demonstrare conabor, qua agetur

§. 7.

de aptissima ordinum copulatione.

At enim ordines periodi anapaesticae ita inter se excipiunt, ut artissima sit coniunctio. Licet id explanare comparatis trimetris iambicis. Hi enim, qui hiatu et syllaba ancipiti i. e. silentio aliquo distinguuntur, saltem apud antiquiores, ut apud Aeschylum, non possunt vocali littera elisa coniungi. Contra Aeschylus anapaestos non solum vinculo elisionis colligat, ut suppl. 35 *βροντῇ στεροπῇ τ' | ὀμβροφόροισίν τ' ἀνέμοις ἀγρίας.*

Pers. 31 *Φαρανδάκης θ' | ἵππων ἐλατὴρ Σοσθάνης*, sed etiam productione ea, quae consonarum positione fit maximeque eo, quod brevis in fine ordinis vocalis propter duas quae in initio proximi membri sunt consonantes producitur, velut

Prom. 191 *εἰς ἀρθμὸν ἐμοὶ καὶ φιλότητᾰ | σπεύδων σπεύδοντί ποθ' ἥξει.* et

ibid. 1086. *ἀνέμων | πνεύματα πάντων εἰς ἄλληλᾰ | στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενᾰ· | ξυντετάρακται.*

Inde apparet membra quae inter se aptissime copulata videmus etiam numeris vincienda esse. Eodem igitur modo, quo orationis continuitas ut intra singulas dipodias, sic etiam extrema dipodia vel tetrapodia servatur neque pausa aliqua interrumpitur, numerus et ipse qua sit aequabilitate necesse est ne in fine quidem singularum dipodiarum singulorumve ordinum turbetur, sed semper sibi constet, id quod solum cum aequali illo et modico choreutarum ingressu convenit. Quo fit, cum syllabis quattuor brevibus iuxta inter se positis omnis numeri constantia deleatur, ut dipodiae et tetrapodiae copulari ita non possint, ut dactylus et anapaestus inter se concurrant. Fieret enim pyrrhychius – ◡́ ◡ – ◡́ ◡ | ◡ ◡ –́ ◡ ◡ –́

Itaque exempla, quae Hermannus post eumque Rossb.-Westph. de hypermetris tragoediae legitimis afferunt — nam comicorum nulla omnino sunt — huic rationi repugnantia, ea omnia mihi suspecta sunt maximamque partem iam diu correcta, ut ab ipso Hermanno *Aesch. suppl.* 9. *ἀλλ' αὐτογενεῖ φυξανορίᾳ* (Med. *ἀλλ' αὐτογενῆ τὸν φυξάνορα) γάμον Αἰγύπτου παίδων ἀσεβῆ τ' ὀνοταζόμεναι.* — sept. 867 *τὸν δυσκέλαδόν θ' ὕμνον Ἐρινύος ἀχεῖν* (Med. *ἰαχεῖν*). cf. Elmsleium ad Eur. Med. 149.

Eum. 949 *ἦ τάδ' ἀκούετε, πόλεως φρούριον* eius generis est, de quo infra fusius agam.

sept. 829 *ἢ τοὺς μογεροὺς καὶ δυσδαίμονας ἀτέκνους κλαύσω πολεμάρχους*, corruptum esse Meinekius iam intellexit (philol. 20 p. 61.) Atque ea ipsa verba *δυσδαίμονας ἀτέκνους* glossemata esse similis quodam modo interpretatio scholii Medicei evincit *ἐπὶ κακῷ τεχθέντας ἢ τοὺς μὴ τεκνοποιήσαντας*. Ea igitur omnia glossemata sunt eius locutionis, cuius duplex esse potuit vis et male nati (*δυσδαίμονος*) et malos natos vel liberos habentis (*ἀτέκνου*). Ceterum manum interpolatricem prodit dactylus, quippe qui in fine dipodiae dactylo altero non antecedente positus sit, de quo infra dicendum erit. De eadem hac caussa cum verba *Eurip. Electr. 1319* *θάρσει· Παλλάδος ὁσίαν ἥξεις πόλιν· ἀλλ' ἀνέχου.* non recte scripta sint, correctorem quendam licet coniicere verba quae fuerint haec *θάρσει. ὁσίαν Παλλάδος ἥξεις πόλιν* transposuisse, ut hiatum evitaret, quo lacuna indicata esse videtur, quam fortasse sic explebis: *θάρσει. | σὴ χεὶρ λύσεται αἵματος, | εἰ τὴν | ὁσίαν Παλλάδος ἥξεις | πόλιν· ἀλλ' ἀνέχου.*

In comicis hypermetris exemplum quod huic regulae obstaret, plane non inveniri iam vidimus. Atque tetrametrorum unicus est locus *vesp. 397* *αὐτὸν δήσας. Χ. ὦ μιαρώτατε, τί ποιεῖς; οὐ μὴ καταβήσεις;* cuius eadem esse videtur condicio quae est *Eur. El. 1321* *περί μοι στέρνοις στέρνα πρόσαψον, σύγγονε φίλτατε· διὰ γὰρ κτέ.* Verba enim *σύγγονε φίλτατε* ex Euripidis contextu tollenda et *ὦ μιαρώτατε* ex eo, quod Porsonus coniecit *ὦ μιαρ' ἀνδρῶν* (cf. p. 54 praef. ad Hec.) corrupta esse videntur, nisi forte scripturam traditam defendere malis eo, quod utrobique res in allocutione posita sit, cui paucas alias exceptiones

concessimus. Ego probo Porsoni coniecturam. Atque de Electrae Euripideae exitu suspitio eo magis augetur, quo plures apparent loci, qui certis illis legitimorum regulis non conveniunt. Atqui de duobus iam constat locis 1319 et 1321, quibus alterum accedere videbimus 1353, quare veri similius fit exitum illum, quo de agitur, sicut extremam Baccharum partem ab Euripide abiudicandam esse. Cuius interpolationis, ut hoc statim adiiciam, tertium demonstrare licebit exemplum Iphig. Anl. 590 — 606. quorum versuum posterior pars iam ab Augusto Nauckio in similem suspitionem vocata est.

Cap. IV.

De contractionibus et dissolutionibus.

§. 8.

De formis solitis.

Numerus anapaesticus eius generis est, quod Graeci γένος ἴσον vel δακτυλικόν, Latini *par* dicunt propterea quod singuli pedes quaternis moris (sive temporibus i. e. Aristoxeni χρόνοις πρώτοις) continentur ita, ut positio vel thesis (vel Aristoxeni βάσις) et elevatio vel arsis binis moris efficiantur*).

Si thesis antecedit, dactylus ⏗ | ⏑ ⏑, sin arsis, anapaestus ⏑ ⏑ | ⏗ nominatur. Anapaestus igitur a dactylo non differt nisi anacrusi, quare consentaneum est nomine anapaesti significari dactylum inversum**).

Ac saepissime quidem thesis vel basis una syllaba longa exprimitur, quae est duorum temporum, contra arsis duabus brevibus, quarum utraque unam tantum moram continet

anapaestus: $\overset{1}{\smile}\ \overset{1}{\smile}$ arsis | $\overset{2}{—}$ thesis

Atque haec forma primaria dimidiam fere partem omnium pedum efficit. Nam si septenos tibi pedes sumes, eorum terni formae huius erunt ($\frac{3}{7}$). — Sed haec primaria forma ita variatur, ut arsis quoque, quam item duarum morarum esse vidimus, per unam syllabam longam exprimatur.

Quo fit, ut pro anapaesto ponatur

spondeus $\overset{2}{—}$ arsis | $\overset{2}{—}$ thesis

*) Utor enim vocibus illis eo, quo veteres modo, ut sit thesis „guter Taktthheil", arsis „schwacher Taktthheil", non quo metrici inde a Bentleio recentes, ut sit plane contrarium. Qua in re Westphalius I² §. 42. 2 antecessit, cui Henr. Weilius assensus est Jahni annal. 1862 p. 338.

**) Hac de re aliquam diu *Rud. Westphal*, Fragmente und Lehrsätze der griech. Rhythmiker Lips. 1861 p. 229. *Julius Caesar*, elem. rhythm. graec. 1861. p. 275sqq. *Heinr. Weil* Jahni annal. 1862 p. 349. Jul. Caesar, Jahni annal. 1863 p. 18, denique Rud. Westphal I² p. 571sq. inter se pugnaverunt, usque dum lis in eam, quam dixi, sententiam componeretur.

quem optimi Graeci auctores *σύμπτυκτον ἀνάπαιστον* dixerunt, cf. Herm. el. p. 603.

Anapaesti autem saepius omnino inveniuntur quam spondei; sed cum anapaestorum usus in secundo pede tetrapodiae acatalectae et quarto maximus sit, in sede prima et tertia spondeus frequentior est. Spondeorum undenorum loci primi et tertii sunt septeni, alterius et quarti quaterni ($\frac{7}{11}$. $\frac{4}{11}$).

Postremo idem est numerus, si binae thesis morae non contrahuntur, sed per se singulae binis brevibus syllabis continentur, qua quidem thesi soluta primum usi sunt poetae scaenici, cf. Hephaest. p. 26 ed. Teubn. *τὸ δὲ ἀναπαιστικὸν κατὰ πᾶσαν χώραν δέχεται σπονδεῖον, ἀνάπαιστον... παρὰδὲ τοῖς δραματοποιοῖς καὶ δάκτυλον* et Trich. p. 277 eiusdem editionis *τὸν δὲ δάκτυλον οἱ δραματοποιοὶ παραλαμβάνουσιν ὡς ἰσόχρονον τῷ ἀναπαίστῳ, κἂν ἀπὸ μακρᾶς οὗτος ἄρχεται.* quos postero tempore hymnorum scriptores secuti sunt. Attamen cum procelensmatico in anapaestis legitimis locus non sit, thesi soluta semper necesse est arsis contrahatur.

Itaque fit

dactylus	2 — arsis	1 1 ⏑ ⏑ thesis

Atque facile intelleges dactylum in sedibus maxime poni eisdem, quibus etiam spondeum prima et tertia. In istis enim locis dactylus fere tam frequens est quam ipse anapaestus. Nam, ut partibus proportionalibus rationem reddam, vicenorum quinorum qui sunt in sede prima et tertia reperiuntur noveni anapaesti, octoni dactyli, septeni spondei.

Inde intellegitur totius dipodiae formas usitatissimas esse has tres
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – . – ⏑ ⏑ – – . – – ⏑ ⏑ – .

His igitur formis adhibitis numerus plane et modice labitur neque extra solitos suae naturae fines excedit. Atque quo saepius hae tres formae inter se mutantur, eo pulcrior atque iucundior est varietas. Quamquam saepe fit, ut per complures tetrapodias unum horum trium schematorum continuetur neque eo minore aures afficiantur voluptate; velut haec forma – ⏑ ⏑ – – sexies repetitur Ai. 1525., quater choeph. 724, ter ibid. 375. Pers. 59. Ag. 785 et.

Non crediderim aliquid maioris momenti inesse in hac forma: ⏑ ⏑ –́ – –́, quae non tam frequenter quam tres illae, sed nonnumquam invenitur neque tamen ita, ut ter quaterve repetatur. Sed ubi utraque forma – – | ⏑ ⏑ – et ⏑ ⏑ – | – – poni potest, poëtae non semper eam, quam frequentiorem diximus, – – ⏑ ⏑ – maluerunt, quod e conspectu caesurarum, quem infra ponam, per se apparebit.

§. 9.

De dipodiis spondiacis et dactylicis.

Plane aliud est, si bini eiusdem dipodiae pedes spondei vel dactyli sunt. Tum enim numeri non iam tranquilla et placida aequalitas est neque orationis assurgentis temperantia. Numerus enim duplici spondeo,

potissimum iterato, retardatur atque aptus fit ad exprimendam animi tristitiam dolentisque desperationem, ut Prom. 93 *δέρχϑηϑ' οἵαις αἰκίαισιν.* Antig. 801 *νῦν δ' ἤδη 'γὼ καὐτὸς ϑεσμῶν ἔξω φέρομαι.*

Contra vero duplici dactylo verba citius feruntur atque fortissimus numeri impetus accommodatur ad exhortandum vel festinandum, ut Ai. 1404: *χερσὶ ταχύνετε.* Hipp. 215 *πέμπετέ μ' εἰς ὄρος. εἶμι πρὸς ὕλαν.*

Atque ut spondeis animi desperatio describitur, sic dactylis animi perturbatio atque iracundia ostenditur, velut in illa Phaedrae insanientis oratione atque Medeae desertae dolore, Med. 161 *ὦ μεγάλα ϑέμι καὶ πότνι' Ἄρτεμι, λεύσσεϑ' ἃ πάσχομεν.* 167 *ὦ πάτερ, ὦ πόλις, ὧν ἀπενάσϑην*, deinde Iasonis libros necatos plorantis ib. 1405 *Ζεῦ, τάδ' ἀκούεις, ὡς ἀπελαυνόμεϑ', οἷά τε πάσχομεν ἐκ τῆς μυσαρᾶς.* Troad. 107 *ἢ πατρὶς ἔρρει καὶ τέκνα καὶ πόσις; ὦ πολὺς ὄγκος.*

Depinguntur ut pugnae labores Ag. 63 *πολλὰ παλαίσματα*, sic labores animi Trach. 1277 *πολλὰ δὲ πήματα.* Phil. 194 *καὶ τὰ παϑήματα κεῖνα πρὸς αὐτόν.* Qua re saepissime dactyli in exclamatione positi sunt, ut Troad. 107. Iphig. Aul. 1288 *ὦ τέκνον, ὦ ξένοι.*

Quis igitur est, quin neget duplices dactylos eosdemque spondeos, praesertim cum iterentur, cum vi quadam poni, id quod item valet in Clytaemnestrae verbis atrocibus Ag. 1553 *κάππεσε, κάτϑανε καὶ καταϑάψομεν οὐχ ὑπὸ κλαυϑμῶν τῶν ἐξ οἴκων.*

Itaque facile apparet dactyli duplicis vel bis iterati, sicut spondei optimam esse rationem. Atque omnino cum, quibus inveniatur duplex dactylus, legitimorum loci apud Aeschylum sint sedecim, Sophoclis quinque, Euripidis viginti, Aristophaneorum tetrametrorum duodecim, hypermetrorum undecim, legitimorum anapaestorum intellegitur ne hac quidem re perire aequabilitatem.

Denique ut quae ratio inter dipodias has dactylicas ac spondiacas et inter solitas illas formas intercedat, perspicua sit, usus numeris ostendam.

In 55 dipodiis sunt

⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́	12	– –́ ⏑ ⏑ –́	15
– ⏑́ ⏑ – –́	16	⏑ ⏑ –́ – –́	6
– –́ – –́	4	– ⏑́ ⏑ – ⏑́ ⏑	2.

Omnes igitur formas quae fingi aut cogitari possunt perlustravimus praeter duas quae efficiuntur, cum pes dipodiae alter est dactylus, prior anapaestus sive spondeus ⏑ ⏑ –́ – ⏑́ ⏑ et – –́ – ⏑́ ⏑. Sed hoc

§. 10.

de dactylo, qui est in altera dipodiae sede quemque anapaestus sive spondeus antecedit,

licet dubitare. Certa enim videtur lex esse, ut posterior dipodiae pes non sit dactylus nisi alter sit idem. Cui legi quamquam loci sunt qui repugnare videantur, tamen probaturum me esse spero, omnes illos locos aut esse corruptos aut certe eius modi, ut nihil valeant ad hanc legem infirmandam.

Primum *sept. 1068* — ut omnes qui ex coniectura tantum constituti

sunt locos cum hac regula pugnantes praeteream, velut Ag. 803 *θράσος ἀκούσιον* Med. *θάρσος ἑκούσιον*, Ion. 84 *πυρὶ τῷδ' αἰθέρος* (alter codex *πῦρ τόδ' αἰθέρος*). Schmidtius mus. rhen. 1869 p. 136. *τόδε πῦρ αἰθέρος* — sept. 1068, inquam, *καὶ συνθάψομεν* licet corrigere *καὶ καταθάψομεν*. Omisso enim *κατά* post *καί* corrector metrum falso explevit. Nam omnino formam hanc ◡◡ – – ◡◡ ibi saepe invenimus, ubi aperte e libris antiquioribus demonstrari potest Byzantinos textum interpolasse, quo in genere Triclinius Ag. 806 ut paroemiacum vitaret, correxit *εὔφρων τις πόνος εὖ τελέσασιν*.

Putaverunt enim isti quidem iustum esse numerum, modo syllabae satis essent ad versum explendum, velut probaverunt hoc ran. 1026 *εἶτα διδάξας τοὺς Πέρσας μετὰ | τοῦτ' ἐπιθυμεῖν ἐδίδαξα*.

Neque ullo modo diiudicare potuerunt, utrum numerus bene procederet necne. Itaque *Androm. 1228 λευκὴν αἰθέρα πορθμευόμενος* Byzantinis illis deberi e varia lectione *λευκὸν αἰθέρα* apparet. Euripides enim meliore numero videtur scripsisse *λευκὸν ἐς αἰθέρα*. Nam cum *ἐς* praepositio perisset, grammatici versum ita expleruut, ut pro *λευκόν* scriberent *λευκήν*, quod genus eis notum fuit ex usu Homerico et Euripidis locis. Ac profecto quidem *Trach. 1275 λείπου μηδὲ σύ, παρθένʼ, ἀπʼ οἴκων* scriptura pro eo, quod solum verum est *μηδὲ σὺ λείπου, παρθένʼ, ἀπʼ οἴκων* ab istis ipsis grammaticis huius regulae imperitis profecta est, qui Arist. pac. 732 *ἀλλὰ φύλαττε σὺ ταῦτ' ἀνδρείως* probaverunt, cum codices Venetus et Ravennas veram scripturam *φυλάττετε* praeberent.

Ab eisdem grammaticis alios quoque tres locos transpositione depravatos esse puto. Nam *Pers. 46 πολλοῖς ἅρμασιν ἐξορμῶσιν* et *Antig. 129 πολλῷ ῥεύματι προσνισσομένους* scripserunt, quibus usitatissima verborum collocatio magis probaretur quam exquisitior illa, quam cur poetae maluissent, non intellexerunt: *ἅρμασι πολλοῖς*, *ῥεύματι πολλῷ* ut alias est *ἄλγεσι πολλοῖς* cf. Eur. suppl. 1119. Similiter *Agam. 92* verba transposita sunt *ἄλλης δ' ἀλλόθεν οὐρανομήκης λαμπὰς ἀνίσχει*, pro eo, quod Aeschyli fuit *οὐρανομήκης δ' ἀλλόθεν ἄλλη λαμπὰς ἀνίσχει*. Talis enim transpositio nobis magis probatur, si cetera huius formae – ◡ ◡ | – – exempla respicimus, quae quidem exempla tam frequentia sunt, ut hi tres loci omnino nihil possint contra tantam exemplorum multitudinem efficere. Neque enim intellegitur, cur poetae ei, qui alias scripserint: *ῥεύματι μάργῳ γλώσσης* Prom. 884. *δάκρυσι κόλπους τέγγουσ'* Pers. 539. *μείζονα μοῖραν ναίμαιμι* Prom. 292. *σώματι κεῖσαι τῷ βασιλείῳ* choeph. 724. *δώματα ναίειν καὶ . .* Aesch. suppl. 971. *δεσμῶτιν ἄγων ἤλυθε ποιμήν, ὧν* Ai. 234. *μείζονα δαίμων τῶν . . .* Oed. tyr. 1301. *παύετε θρήνων, παῖδες* Oed. Col. 1751. *μηδένα θνητῶν θήκην* ib. 1762. *προὔθετο λέσχην, κοινῷ* Ant. 161. *μέλλετε πράσσειν, καιρός . . .* Phil. 1449. *δὶς τόσα πυργοῦν τῶν γιγνομένων*. Heraclid. 293. *νοσερᾶς | δέμνια κοίτας. δεῦρο . . .* Hipp. 180. *"Αρτεμι λίμνας καὶ . . .* ib. 228 *ἤλυθε τέκνων χρηστ.* Med. 1108. *σώματα τέκνων. πῶς . . .* ib. 1011. *σώματα λεύσσω τῶν οἰχομένων* Eur. suppl. 794. *πλήγματα κρατὸς κολπ.* Troad. 794. *πτώματα νεκρῶν τρισσῶν* Phoen.

1481 et. — sunt enim loci, nisi ratio me fefellit sexaginta sex —, his tribus locis de consuetudine illa recedere maluerint.

Sic etiam *Oedip. Col. 1774* δράσω καὶ τάδε καὶ πάνϑ' ὁπόσ' ἂν μέλλω πράσσειν . . . οὐ δεῖ μ' ἀποκάμνειν. non a Sophocle dictum est. Nam sententiam esse apparet hanc „et hoc faciam et omnia alia praestare nusquam desinam." Itaque per καὶ — καὶ non duo verba τάδε et πάντα, sed tota enuntiata coniunguntur. Poteras igitur transponere καὶ τάδε δράσω. Quamquam ne hoc quidem ab omni parte satis facit. Nam duplex illud καί ab hoc loco alienum esse videtur. Atque in talibus responsionibus affirmativis pronomen personale plerumque additur. Qua re hic locus melius fortasse corrigitur sic: δράσω τάδ' ἐγώ. Neque enim solum transponendo, verum etiam interpolando grammaticos verba depravasse vidimus, ut Ag. 806. Itaque saepius glossematis in textum receptis veram scripturam remotam esse alia nos docent exempla non rara, velut sept. 827 Meinekius recte de glossematis indicavit. Sic etiam *Ion. 103—108* ἐσόδους Φοίβου | καϑαρὰς ϑήσομεν ὑγραῖς τε πέδον | ῥανίσιν νοτερόν, πτηνῶν τ' ἀγέλας | αἳ βλάπτουσιν σέμν' ἀπαϑήματα | τόξοισιν ἐμοῖς φυγάδας ϑήσομεν. a manu interpolatrice, quae versum 176 ὡς ἀναϑήματα μὴ βλάπτηται inter alia huc inferret, in hanc formam perversam redacta sunt, quod iteratio illa in ϑήσομεν docet.

Deinceps editores verba *Aesch. suppl. 5.* δίαν δὲ λιποῦσαι | χϑόνα σύγχορτον Συρίᾳ φεύγομεν, οὔτιν' ἐφ' αἵματι δημηλασίαν ψήφῳ πόλεως γνωσϑεῖσαι intacta reliquerunt. Neque tamen intellego, quae sit ratio, qua Aegyptus terra dicatur Syriae finitima, neque apparet, cur caelestis terra eadem Aegyptus a Danaidibus vocetur. Συρίᾳ igitur doctrinam librarii redolere mihi videtur. Sed nescio quomodo totus locus corrigendus sit.

Alter locus est *Ag. 358:*

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ καὶ νὺξ φιλία | μεγάλων κόσμων κτεάτειρα,

ἥτ' ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔβαλες | στεγανὸν δίκτυον, ὡς μήτε μέγαν | μήτ' οὖν νεαρόν τιν' ὑπερτελέσαι | μέγα δουλείας γάγγαμον ἄτης παναλώτου, quem video a viris criticis sive amputatum sive auctum. Alii enim illud μέγα δουλείας quasi glossema eiecerunt, alii lacunam post illa ipsa verba esse statuerunt, quod responsioni basis illa non sufficeret, sed tetrapodia requireretur. Sane concedendum est responsionem turbatam esse, de qua infra agetur. Sed accedit quod Aeschylus eadem voce intra quattuor versus quater non debet uti μεγάλων - μέγαν - μέγα, quibus adiungitur v. statim 62 μέγαν. Sed quae est sententia? „Nox quae super Troiae turres rete iecisti, ut neque maior quis natu neque iuvenis supersiliret magnam servitii plagam." Ne dicam de sententia quae Keckii coniectura nascitur admodum contorta λίνα δουλείας ἐκδυσάμενον γάγγαμον ἄτης. Nam ut de tribus illis nominibus λίνα δίκτυον γάγγαμον taceam, cum γάγγαμον idem sit quod δίκτυον, cf. Hesychi glossam γάγγαμον· δίκτυον, distinguendum esset inter rete id quod nox Troiae imposuisset et inter alterum quod nemo fugere posset, servitii vel fati, atque ita quidem, ut diceretur, propterea, quod nox rete Troiae imposuisset, neminem illud aliud rete fati fugere potuisse. Mihi quidem abundantia vitiosa in his verbis inesse videtur. Nam sola poetica

Aeschyloque digna haec est sententia: „Nox quae Troiae rete perniciei imposuisti, quod nemo fugeret.“ Itaque locus glossematis auctus esse videtur, quo eodem ducit testimonium Pollucis 10, 132, qui verba illa *γάγγαμον ἄτης παναλώτου* ita citat, ut *μέγα δουλείας* in eius exemplari afuisse appareat: *γάγγαμον, ἀφ' οὗ καὶ Αἰσχύλος τὸ δύσλυτον κακὸν ἢ δυσέλικτον ἔφη γάγγαμον ἄτης παναλώτου.* Fortasse verba interpolata fuerunt in hunc modum:

ἥτ' ἐπὶ Τροίας ἔβαλες πύργοις
ὡς μήτε μέγαν
μήτ' οὖν νεαρόν τιν' ὑπερτελέσαι
στεγανὸν δίκτυον μέγα δουλείας
γάγγαμον ἄτης παναλώτου.

Itaque librario cuipiam *μέγα δουλείας* basim anapaesticam efficere, altera glossematis pars, quae in margine erat posita, ad versum alium pertinere i. e. ad verbum *ἔβαλες* finitum visa est. Ceterum adiectivum *μέγας* ne ter quidem intra hos versus ab Aeschylo usurpatum esse puto. Scribes igitur mea quidem sententia sic:

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ καὶ νὺξ φιλία | κόσμων κτεάτειρ', ἥτ' ἐπὶ Τροίας | ἔβαλες πύργοις, ὡς μήτε μέγαν | μήτ' οὖν νεαρόν τιν' ὑπερτελέσαι | γάγγαμον ἄτης παναλώτου.

Quibus optime respondet ea, quae sequitur, periodus quinque ordinum.

Unus denique locus Aeschyli, qui restat *Agam. 797* cum mendosus sit, hanc, qua de agitur, regulam non irritam facit neque alter *Eum. 307. ἄγε δὴ καὶ χορὸν ἅψωμεν, ἐπεὶ μοῦσαν στυγερὰν ἀποφαίνεσθαι δεδόκηκεν*, in quo ipso versu lacunam esse responsione neglecta infra demonstrabitur. Neque mirum est tertium locum in Euripidis fabula quae est ex uno eodemque deterrimo codice expressa inveniri, quo corruptelae ratio non liquet, *Eur. Elect. 1353.* quo loco scribendum propono pro *μόχθων σῴζομεν· σῴζομεν ἄχθων.* Nam is qui novit quam vitiatam iste codex praebeat saepe scripturam, tale vitium non mirabitur. Si quis id minus perspectum habet, is facile hoc idem intelleget, modo conferat Eur. suppl. 1110—12 quae verba in codice Euripideo tradantur cum eis, quae Plutarchus citet.

Sic igitur effectum est nullum omnino legitimorum in tragoedia anapaestorum ab omni parte tutum esse exemplum, quo demonstretur dactylum esse pedem dipodiae alterum, nisi prior sit idem dactylus. De comoedia infra videbimus*).

Denique quid sit caussae huius rei non latet. Nam cum tetrapodia caesura primaria semper in duas partes aequales dividatur, pes dimetri

---

*) eadem regula est latinorum legitimorum. Corrigendus est enim unus *Acci* locus v. 529 ed. Ribb.: *[dein] Volcani templa sub ipsis | collibus*, cum in libris sit *Volcania.* Postremo in fabulis quae feruntur *Senecae* dimetri anapaestici sunt lamentabiles severissimis legibus adstricti, in quibus ubique spondeus, dactylus non potest poni nisi primo et tertio loco, pyrrhichius numquam invenitur nisi uno loco corrupto Herc. 1067. Atque cum caesura semper dipodica sit, apparet omnem varietatem abesse. Sunt enim quinque hae formae ⏑⏑–́⏑⏑–́. – –́⏑⏑–́. ⏑⏑–́ – –́. – –́ – –́. – ⏑́⏑ – –́.

alter et quartus totius membri vel certe dimidiae partis ultimus est. Atqui constat poetas maxime in fine unius cuiusque metri curavisse, ut numerus purus perspiceretur. Quare cum dactylum pro anapaesto in sede prima et tertia admitterent, id idem in fine noluerunt i. e. in altero et quarto pedibus, ne quod esset perspicuitatis detrimentum.

Omnino autem haec lex non aliena esse videtur ab ea, quam Engerus docuit in philologi vol. 12. p. 457 sq. de dochmiis, quorum altera thesis non solvatur nisi priore soluta ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –́ nec tamen ⏑ –́ ⏑́ ⏑ ⏑ –́,

Videmus igitur quod in dochmiis non liceat cum theses inter se excipiant, id in anapaestis his legitimis atque planis ne arsi quidem interiecta fieri posse.

Huius rei caussam Engerus in eo positam esse putat, quod in posteriore thesi gravior sit ictus quam in altera: ⏑ –́ –̋ ⏑ –́. Itaque cum dipodiae anapaesticae unus sit ictus gravior — scanditur enim dimeter secundum dipodias, ut infra videbimus — ex Engeri sententia dici videtur posse, ictus non esse hos ⏑ ⏑ –̋ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – dimetri.

Nam quae sit ratio, qua putemus thesim gravius percussam esse eam, quae facilius solvatur, quam eam, quae contracta esse soleat, non assequor. Etenim id quod contrarium est ratione non tam caret, ut ea thesis plus in se contineat ponderis quae solvi non soleat, quam ea, quae inter 55 versus duodevicies soluta sit. Nam, si quidem in graviore percussione caussam positam agnoscamus, eam quae solvatur thesim minus percuti quam contractam intellegitur ad eum ipsum modum, quo unius cuiusque pedis eam, quae ictu careret, partem brevibus syllabis duabus quam una longa exprimi maluerunt, eam, quae ictu feriretur, una longa. Tum igitur ictus dimetri hi essent:

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | –̋ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | –́, quae quidem scansio per se non tam vana esse videtur, quam Henrico Weilio Jahni ann. 1862 p. 342 sq. visa est. Ipsius enim Aristoxeni fuisse Westphal I^2 p. 567 ex Pselli fragm. 12 demonstrat. Sed tum prima illa usque ad ictum primarium pars tota anacrusis esset. — Sed de hac explicatione etiamnunc dubito, cum nemini adhuc contigerit ut demonstraret ictui cum dissolutione aliquid commune esse.

Cap. V.

De caesuris tragicis.

§. 11.

In universum.

Rationes contrahendi et solvendi quas modo absolvimus communes sunt omnium et poetarum et poesis generum. In caesuris adhibendis maxime inter se differunt non solum poetae comici et tragici, sed etiam ipsi inter se poetae tragici. Sunt enim caesurae comoediae ad alias atque tragoediae leges institutae. Et apud Aeschylum sunt caesurae quae apud

Euripidem non reperiuntur. Hoc igitur capite cum de caesuris, quae in tragoedia inveniantur, agere consilium sit, ante omnia duae res exponendae videntur, quae ad omnes omnino caesuras pertinent.

1) Ante verbum encliticum et post verba atona sive proclitica incidi non potest. Idque licet probare inter alia si spectamus trimetrum iambicum, qui in vocem monosyllabam ita desinere non potest, ut ante ultimam thesim incidatur. Si quae vox in eo loco monosyllaba erit, eam esse encliticam recte putabis. Ut exempla afferam Ai. 39 ταῦτά σοι 53 σύμμικτά τε 102. 329. 346. 537. 771. 823.

Neque opus est incidi, si vox enclitica quae dicitur accentum servat. Itaque omnes verbi εἶναι et φάναι formae ita cum antecedenti voce coalescere possunt, ut nulla sit incisio, ut Aesch. Ag. 1608 ὤν. Idque tam verum est, ut ne duobus quidem vocabulis encliticis coniunctis pars numeri per se valens efficiatur, ut Ag. 1492 ἐν ὑφάσματι τῷδ', quae verba non possunt sic feriri ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | –, cf. p. 23.

Eodem modo ante verba μέν, δέ, γάρ, δή, ἄν, γοῦν cet. non inciditur neque post μή - οὐκ et τίς et articuli formas acutas et, ut videtur, post pronomen relativum ὅς. Accedunt duorum verborum formae monosyllabae χρή et δεῖ quae ad similitudinem εἶναι et φημί verborum ad proxima inclinantur, ut Aesch. Ag. 927 Eum. 708 (χρή) choeph. 879 (δεῖ), et vox παῖς, ut item ex trimetri fine apparet, cf. Eur. Alc. 37 exitum paroemiaci αὐτὴ | προθανεῖν | Πελίου παῖς, ubi inter Πελίου et παῖς incidi non videtur.

2) Elisione ipsa inter se coniungi verba leges docent, ex quibus aspiratio quae sit in initio proximi vocabuli cum ultima prioris vocabuli tenui communicetur, ut Ai. 780 τοιαῦθ' ὁ μάντις | εἶφ'. ὁ δ' εὐθύς.

Quare numerus et ipse ita colligari potest, ut incisio propter elisionem impediatur; quamquam id non semper necessarium esse ex locis eis apparet, in quibus vocales eliduntur in exitu totius ordinis, quo necessario inciditur*).

Sed videamus de caesuris anapaestorum legitimorum tragicis. Atque primum quidem post singulos ordines tetrapodicos i. e. post singulos dimetros caesuram semper esse servatam eo concluditur, quod binae dipodiae nusquam exstant, quarum utraque caesuram primariam habet post primam syllabam brevem (⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – cet).

Omninoque haec primaria ratio esse videtur, ut quoad fieri possit post quemvis pedem caedatur, quam diaeresim vocant. Jam

§. 12.

De caesuris primariis

si quaerimus, rationem poetarum tragicorum communem non videmus. Ac caesura usitatissima ea est, qua versus, qui secundum pedes binos scanditur, in illas ipsas dipodias dividitur ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –.

Praeter hanc quam *caesuram dipodicam* dici volo sane alia est

*) cf. §. 7.

caesura primaria, cum post priorem sequentis arsis syllabam inciditur ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ –, quae eodem plane modo fit, quo in versu heroico caesura illa *μετὰ τρίτον τροχαῖον*

–́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ | ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ –

atque in dimetris dochmiacis:

⏑ –́ –́ ⏑ –́ ⏑ | –́ –́ ⏑ –́ pro ⏑ –́ –́ ⏑ –́ | ⏑ –́ –́ ⏑ –́

Licet hanc *trochaicam* dicere. Atque Aeschylus illa locis viginti duobus usus est, Sophocles octies, Euripides in iis ipsis, de quibus agitur, dimetris acatalectis numquam.

Nam Iphig. Aulid. 390 *ἴδετ' Ἰφιγένειαν ἄνασσαν ἐμὴν | καὶ Τυνδαρέου [γε] Κλυταιμνήστραν* vix Euripidis esse iam indicavimus, cf. §. 4. praeterea cf. Nauck. stud. eurip. I p. 132. Contra in priore paroemiaci dipodia etiam Euripidem hanc caesuram non repudiare proximo in capite videbimus.

Denique post Euripidem illa caesura dipodica sola adhibita est ita, ut tetrapodia semper in binas dipodias divideretur, qua quidem scansione numerum lentius aequabiliusque ad aures accidere neminem fugit, quaeque nescio an apta fuerit ad tristem illam querimoniam exprimendam quae anapaestis Euripideis saepe depingitur, ut in Hippolyti, Medeae, Troadum parodis. Quos eosdem anapaestos in latinis quae Senecae tribuuntur fabulis invenimus magis etiam varietatis expertes, quod paroemiaco destituti sunt.

Contra a fabulis latinis antiquioribus hanc caesuram trochaicam non alienam esse exempla nonnulla docent, ut Acci 532 ed. Ribb. *gravia exspirante | vapore vides.*

Aliae caesurae primariae horum dimetrorum legitimorum non sunt. Restant tamen tres Aeschyli loci, ubi caesura primaria violata est. Sed ei omnes aut corrupti aut ab Aeschylo abiudicandi sunt

fragm. 186, 4 λίμναν παντοτρόφον Αἰθιόπων, quod Lobeckius emendavit *πάντων | τροφόν. Prom. 172 καί μ' οὔτι μελιγλώσσοις πειθοῦς ib. 293 γνώσει δὲ τάδ' | ὡς ἔτυμ', | οὐδὲ μάτην*, quo ultimo loco de scriptura librorum vel Medicei non constat*).

§. 13.

De caesuris secundariis

summam iam dixi rationem esse hanc, ut uno quisque pes verbo constet. Eamque cum ipsa numeri anapaestici natura optime convenire facile inde intellegitur, quod cum carminibus anapaesticis semper aggressus quidam coniunctus est, sive pugnantium in hostes impetus, sive precantium ad deorum aras aditus, sive actorum in scaenam introitus vel etiam exitus.

*) choeph. 1072. *νῦν δ' αὖ τρίτος | ἦλθέ ποθεν | σωτήρ* transponendum est *νῦν δ' ἦλθέ ποθεν | τρίτος αὖ σωτήρ.*

Cuique igitur pedi ut passus unus, sic unum verbum constituitur. Atque cum semper pedibus alternis eamus neque eundem pedem in eundo bis ponamus, duo passus *κίνησιν σωματικήν* i. e. corporis positionem efficiunt; pedes igitur bini semper maiorem complectuntur partem. Inde sequitur caesuram dipodicam etiam ex tota numeri natura primariam esse, sequitur etiam aliud. Nam cum bini pedes cum una corporis positione congruentes inter se implicentur, fieri potest, ut numquam in ipsa dipodia incidatur, tota igitur dipodia uno tantum verbo efficiatur.

Habemus igitur, si caesura primaria dipodica est, formas sex

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – · – – ⏑ ⏑ – · ⏑ ⏑ – – – ·

– – – – · – ⏑ ⏑ – – · – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ·

Idque ipsum licet, si caesura trochaica primaria est, formis in priore parte his quinque

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ · – – ⏑ ⏑ – ⏑ · ⏑ ⏑ – – – ⏑ ·

– – – – ⏑ · – ⏑ ⏑ – – ⏑ ·

atque in altera parte cum dactylo non sit locus duplici modo

⏑ – ⏑ ⏑ — et ⏑ – – – ·

Deinde cum corporis positio binis passibus constet, optima est ratio dipodiam semel tantum ferire, quare duae sunt partes sicut duo passus.

Atque Aeschylus dipodiam semper semel tantum percussit, nisi si incisione plane abstinuit, praeter duos locos *Eum. 991 μέγα* | *κέρδος* | *ὁρῶ*, qui est exodicorum et *Pers. 631 εἰ γάρ τι κακῶν* | *ἄχος* | *οἶδε* | *πλέον.*

Neque apud Sophoclem neque apud Euripidem duplex dipodiae incisio frequentior est. Sophoclis enim est *Ai. 139 μέγαν* | *ὄκνον* | *ἔχω.* fortasse *φίλος* | *ὅστις ἀνήρ* Ai. 1413 Phil. 165. *λόγος ἐστὶ* | *φύσιν.* Denique Euripidis Hec. 106 *μέγα σοί τε,* | *γύναι* et Iphig. Taur. 464 *πόλις ἥδε τελεῖ* licet semel tantum ferire, quod res posita est in enclitico *σοί* et in *ἥδε* i. e. articulo cum enclitico *δέ* sociato, quod idem cadit in Sophoclis duos locos ultimos. Sic etiam ceteris in locis, qui afferri poterant una incisione opus est, ut Ai. 239 *τὸν δ' ὀρθὸν* | *ἄνω.* propter elisionem, vel antecedente pronomine relativo ut Ant. 144. *ὦ πατρὸς* | *ἑνός.*

Itaque duplex dipodiae incisio paucis admodum locis apparet.

Contra vero semel dipodiam ita caedi iam dixi, ut post quemvis pedem sit diaeresis; qua sex diversae dipodiae efficiuntur formae:

⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | · – – | ⏑ ⏑ – · ⏑ ⏑ – | – – ·

– – | – – · – ⏑ ⏑ | – – · – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ ·

Deinceps eodem modo, quo tetrapodiam licet sic percutere .

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ –,

etiam intra singulas dipodias caesurae trochaicae esse possunt duobus his modis:

⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – et – – ⏑ | ⏑ – .

Usque adhuc ad caesurarum primariarum similitudinem intra dipodiam feriri videmus.

Sed restant aliae incidendi rationes, quae cum primariis illis nihil commune habere videntur.

Nam fieri potest, si prior pes dactylus est, post syllabam primae thesis priorem ut incidatur

– ◡ | ◡ – – et – ◡ | ◡ – ◡ ◡.

Quae quidem caesura non tam aliena esse videtur ab eis, de quibus modo egimus. Nam scansio haec – ◡ ◡ | – – variatur in – ◡ ! ◡ – – ad similitudinem huius percutiendi rationis ◡ ◡ – ◡ | ◡ – pro ◡ ◡ – | ◡ ◡ –, cum repudiata diaeresi inter duas breves syllabas quae sint inter se proximae caedatur.

Denique restat una caesura quae ad aliam plane rationem facta est, si prima arsis resolvitur a cetero totius dipodiae ambitu.

◡ ◡ | – ◡ ◡ –. et ◡ ◡ | – – –.

– | ◡ ◡ – – et – | ◡ ◡ – ◡ ◡.

Spectanda est numeri anapaestici natura, caesuram hanc si volumus explicare.

Versus enim anapaestus plane idem est qui dactylus, nisi quod anacrusis antecedit. Haec igitur anacrusis discutiendo a ceteris pedibus separatur, cum non ad eam, quae sequitur, thesim pertineat. Cuius rei similitudinem habemus in hexametro dactylico, qui ex binis ordinibus tripodicis constat, quorum prior catalecticus est, alter anacrusi auctus

– ◡ ◡ – ◡ ◡ –

◡ ◡ | – ◡ ◡ – ◡ ◡ – –

in quo anacrusim hanc incisione absolvere licet ab altera, ad quam non pertinet, parte, ut Od. ε 234 *δῶκε μέν οἱ πέλεκυν* ‖ *μέγαν* | *ἄρμενος ἐν παλάμῃσιν.*

Atque cum hac caesura ea pars, quae a cetero dipodiae corpore aliena est, secernatur, facilius fieri potest, ut altera sit ipsius iam dipodiae caesura, quam supra demonstravimus, ut *μέγαν* | *ὄκνον* | *ἔχω* Ai. 139.

Postremo sex possunt propter hanc caesuram esse dipodiae formae, quarum supra quattuor attuli. Duae enim illae, quas neglexi, formae – | – ◡ ◡ – et – | – – – dubiae mihi videntur.

Huius enim formae exempla – | – – – quae afferri poterant, aut dipodias praebent, elisione ubi verba coniunguntur, ut *καί μ' εὐπλοίᾳ* Phil. 1461. 1464. 1465. aut oratio in unum quoddam membrum copulari potest ut *sept. 1058 πῶς τολμήσω*, cum particula interrogativa sicut pronomen omnino ipsum relativum et interrogativum cum proximo verbo aptius cohaereat, atque *Phil. 1410 παῖ Ποίαντος*, ubi *παῖς* illud est, quod per se stet non necesse est, cf. §. 11.

Inde apparet consilium fuisse dipodiam spondiacam non percuti nisi diaeresi, ne quid perspicuitatis numeri fieret detrimentum.

Eodem modo exempla proferre poteram huius scansionis – | – ◡ ◡ –, sed ea omnia elisione praebent caesuram obscuratam, ut Ag. 50. *οἵτ' ἐκπατίοις* sept. 1055. Phil. 1453. 1456. 1457. 1466, quibus accedit Phil. 1454 *οὗ πολλάκι δή* | omni caesura perspicua carens.

§. 14.

De duabus incisionibus suspectis.

Sunt igitur quattuor maxime dipodiae incisiones. Atque omnino praeter eas duae cogitari possunt ⏑ | ⏑ – ⏔ – et ⏔ – ⏔ | –. At ita dipodiam anapaesticam percussam esse non puto.

Nam huius caesurae ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ – exempla quae afferri poterant illa ipsa verba elisione coniuncta habent aut accentus inclinatione vincta aut alia caussa excusata. Nam apud Aeschylum non est exemplum nisi hoc unum Prom. 139 *χθόν' ἀκοιμήτῳ*, quae verba elisione coalescunt. Similia exempla nonnulla apud ceteros poetas scaenicos inveniuntur, sed propter elisionem excusanda, ut Ai. 208. *τί δ' ἐνήλλακται.* 211 *λέγ', ἐπεί σε|λέχος|*. 236. Ant. 381. 802. 804. Alc. 897. Andr. 515. 541. Hec. 100. Eur. El. 1327 cet. vel eo quod praepositio ad verbum inclinatur, ut Alc. 901 *σὺν ἂν ἔσχεν ὁμοῦ* vel pronomen relativum, cf. Ant. 110 *ὃς ἐφ' ἁμετέρᾳ* Andr. 498 *ὃς ὑπερθνήσκεις* vel uno saltem loco pronomen personale *σὲ τὸν ἱππομανῆ* Sophoclis Ai. 143, cui Euripidis accedit Alc. 743.

Alteram, quam dixi a poetis vitatam esse, caesuram, ex qua in thesi secunda quartave neque sit vox monosyllaba neque duarum brevium syllabarum praegressa plurium syllabarum voce, Hermannus cum de tetrametris egit, quamquam non elegantem, tamen admisit, cf. elem. p.401. Sed verba illa eiusmodi sunt, ut ante ea non necessario incidatur, sed talia, ut aptissime ad antecedentia applicentur, sive ipsa accentus inclinatione, ut Ag. 1507 *τίς ὁ θάψων μιν;* 1542. *πᾶν ἀπόχρη μοι.* Eurip. El. 1333 *τάδε λοίσθιά μοι προσφθέγματά σου,* Hippol. 227. *κλιτύς, ὅθεν σοι* cet. sive particulis illis, quas §. 11 notavimus, minutulis, Ag. 67 *ἔστι δ' ὅπη νῦν.* 364 *τόξον, ὅπως ἄν.* Hippol. 227 *πῶμα γένοιτ' ἄν.* Prom. 1043 *ῥιπτέσθω μὲν* choeph. 1068 *παιδόβοροι μὲν.* choeph. 400. *ἀλλὰ νόμος μὲν.* Antig. 154 *χωρεῖ τίνα δὴ.* ib. 821 *ζῶσα μόνη δή.* Aesch. suppl. 16. *γαῖαν, ὅθεν δὴ.* Hippol. 193 *δυσέρωτες δή.* choeph. 375. *ἀλλὰ διπλῆς γάρ.* ib. 402. *αἷμα. βοᾷ γὰρ.* Prom. 1068 *τοὺς προδότας γὰρ.* ib. 1076 *εἰδυῖαι γάρ.* Med. 1400 *ἀλλ' ὁπόσον γοῦν.* Alc. 30 *Φοῖβ', ἀδικεῖς αὖ* cet. sive *χρὴ* Ai. 281, cui in comoedia *δεῖ* accedit av. 607 *ἀποθνήσκειν δεῖν. ᾧ προτέρῳ δεῖ* sicut illud *εὐφημεῖν χρὴ* quod saepissime in initio anapaestorum Aristophaneorum est, sive in voce *παῖς*, Andr. 518 *παῖδα δ' ἐμὴ παῖς.* Ai. 134. *Τελαμώνιε παῖ.*

Praeterea restant duo Aeschyli exempla — nam Pers. 895 liberi carminis est — *sept.* 822. *ὦ μεγάλε Ζεῦ* et choeph. 722 *ὦ πότνιᾰ χθών,* ubi tamen excusatio in eo posita esse videtur, quod verba eo quodammodo coniunguntur, quod ultima prioris vocabuli vocalis proxima duplici consona producitur. Cuius rei imitatio agnoscenda videtur in uno eoque his simillimo Aristophanis exemplo *ἄρα νυνὶ ῥίς.* eccl. 630.

§. 15.

Conspectus singularum formarum.

Restat singularum formarum quae nascuntur diversis incidendi et solvendi contrahendique rationibus quae sit condicio ut indicemus.

Sed primum excludam eas formas, quae duplicem praebent caesuram, supra iam enumeratas. Atque item separabo eas, quarum primaria caesura trochaica est quasque omnes infra afferre consilium est.

Postremo ut si quis velit is rationem meam exquirere possit, trecentas mihi sumam dipodias. Quae quidem ratio etiam propterea commendatur, quod si partes quae revera sunt proportionales in hac re ponerem, condicio cuiusque formae non tam facile perspiceretur. Eligenda autem eiusmodi exempla sunt, quae medium quendam inter numerum incitatum et tardum obtineant locum.

Quare nolo Pers. 1. quippe qui versus propter nominum propriorum multitudinem plures spondeos contineant nec suppl. 1. quae parodus Danaidum fugientium iusto vehementior est. Sumam igitur:

Ag. 40 = 82	choeph. 855 = 14
Sept. 1054 = 35	Ai. 134 = 61
Ai. 202 — 205 = 9	Phil. 1409. fin. = 55.
Oed. Col. fin. = 44	

Omnino sunt viginti formae, cum viginti duae cogitari possint.

I. *Dipodiae nusquam incisae* de trecentis illis septuaginta inveniuntur his sex modis:

1. ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – 8.	2. – – ⏑ ⏑ – 22.
3. ⏑ ⏑ – – – 10.	4. – – – – 7.
5. – ⏑ ⏑ – – 20.	6. – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ 3.

II. *Diaereses* sunt 110, quo quidem numero egregie comprobatur id quod summam esse numeri anapaestici rationem dixi hanc, ut cuique pedi sit verbum unum:

7. ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – 18.	8. – – | ⏑ ⏑ – 26.
9. ⏑ ⏑ – | – – 15.	10. – – | – – 24.
11. – ⏑ ⏑ | – – 26.	12. – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ 1.

III. Contra *caesuras trochaicas* pedis primi et tertii invenimus 36 his duabus formis:

13. ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – 13.	14. – – ⏑ | ⏑ – 23.

IV. At *trochaica dactyli,* ut ita dicam, *incisio* frequentior est quam ipsa primi dactyli diaeresis. Sunt igitur de trecentis his 38 loci in hunc modum:

15. – ⏑ | ⏑ – – 35.	16. – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ 3.

V. Denique si post priorem arsim caeditur, sex formae cogitari possunt, quarum quattuor revera exstare vidimus:

17. ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – 17.	18. ⏑ ⏑ | – – – 8.
19. – | ⏑ ⏑ – – 6.	20. – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ Ag. 62.

Videmus igitur poetas a diaeresi tum demum discedere solere, cum numerus anapaesticus minus variatus sit, quare formam hanc: ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – rarius diaeresi dividi intellegitur quam hanc – – – –

In illa enim numerus puris anapaestis facilius apparet, etiam si aliae caesurae sunt ut ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – et ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ –, quam in hac, quae tota vel aliqua ex parte spondiaca est

– – | ⏑ ⏑ – et – – | – – et ⏑ ⏑ – | – – .

Denique forma haec ⏑ ⏑ | – – – propterea admittitur, quod is certe pes, in quo caeditur, purus anapaestus est neque tamen ea quae pedem spondeum percussum habeat – | – ⏑ ⏑ –, etsi alter pes purus est. Contra si prior pes dactylus est, non raro quidem diaeresi utuntur (– ⏑ ⏑ | – ⏕ 27), sed saepius poetae intra binas ipsius dactyli syllabas breves (– ⏑ | ⏑ – ⏕ 38).

Eaedem rationes sunt, si caesura primaria non est dipodica, sed *trochaica* quam diximus, nisi quod tum consilium etiam magis cernitur, cum metrum incisione trochaica paullulum turbetur, id maxime diaeresibus illustrandi. Nam caesura trochaica in priore parte quater, in altera ter adhibita est, semel haec est – ⏑ | ⏑ – – ⏑ Ant. 141, sed numquam factum est, ut utriusque partis esset eadem caesura trochaica, id quod dipodica in caesura perinde est.

Ceterum in altera parte non tam caesura opus est, cui una syllaba deest, quam in priore, quae est una syllaba auctior. Nam in locis illis viginti uno, quibus trochaica caesura est, undecies omnis caesura ab altera parte abest, a priore quinquies, sed bis tantum ab utraque parte Ag. 790. 793.

Singulae enim formae sunt hae:

21. ⏑ – ⏑ ⏑ – Ag. 50. 64. 95. 790. 793. 794. choeph. 864. Phil. 1470.
22. ⏑ – – – Aesch. suppl. 625. Ag. 84. choeph. 859.
23. ⏑ ⏑ – – – ⏑ Oed. Col. 1771.
24. – – – – ⏑ Ag. 790. 793.
25. – ⏑ ⏑ – – ⏑ Ant. 382. Aesch. fr. *202*, 2.

Videtur autem casu factum esse, ut formae hae ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ et – – ⏑ ⏑ – ⏑ nusquam exstent.

Atque ut ad alteram partem redeamus, illa, ex qua post quemvis pedem incidatur, lex tantum valet, ut decem locorum, qui supersint, septem diaeresi, tres trochaica caesura percutiantur:

26. ⏑ – | ⏑ ⏑ – Ag. 1341. Ai. 257. Trach. 1276.
27. ⏑ – | – – Ag. 1339. Ai. 146. Oed. Col. 760. Phil. 1445.
28. ⏑ – ⏑ | ⏑ – Ant. 141. 382. Oed. Col. 1771.

Idque item pertinet etiam ad priorem partem. Nam loci sedecim duodecies diaeresim praebent, aliam caesuram ter,

29. ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ Ag. 50. 64. 84. 95.
30. – – | ⏑ ⏑ – ⏑ Ag. 1339. choeph. 859. Ai. 166. Phil. 1470.
31. – – | –́ – ⏑ choeph. 859. 864.
32. ⏑ ⏑ – | – – ⏑ Aesch. suppl. 625.

33. – ◡ ◡ | – – ◡ Ai. 257. Ag. 1341 (?)
34. ◡ ◡ – ◡ | ◡ – ◡ Ag. 794. Trach. 1276.
35. – – ◡ | ◡ – ◡ Oed. Col. 1760. Phil. 1445.

Ceterum de Ant. 141 *ἑπτὰ | λοχαγοὶ γὰρ |* supra iam diximus atque Ag. 1341 in codice Mediceo hoc est *τίς ἂν εὔξοιτο*, quod suppleri potest vel *τίς ποτ' ἂν εὔξοιτο* vel *τίς ἂν ἐξεύξοιτο*.

Cap. VI.

De versu paroemiaco.

§. 16.

De solitis paroemiacis.

Versus paroemiaci, qui periodi sive tetrametricae sive hypermetricae apodosim efficiat, atque dimetri acatalecti, qui eiusdem periodi protasim complectatur, par sit numeri ambitus necesse est. Itaque paroemiacus est tetrapodia catalectica, sive ultimam arsim antecedens thesis in se continet ita, ut syllaba paenultima per quattuor moras sonet

$$\overset{1}{\smile}\overset{1}{\smile}\,|\,\overset{2}{-}\,\overset{1}{\smile}\overset{1}{\smile}\,|\,\overset{2}{-}\,\overset{1}{\smile}\overset{1}{\smile}\,|\,\overset{4}{\sqcup}\,|\,\overset{2}{-}$$

sive post ultimam arsim contractam per duo tempora siletur

$$\overset{1}{\smile}\overset{1}{\smile}\,|\,\overset{2}{-}\,\overset{1}{\smile}\overset{1}{\smile}\,|\,\overset{2}{-}\,\overset{1}{\smile}\overset{1}{\smile}\,|\,\overset{2}{-}\,\overset{2}{-}\,|\,\overset{2}{\Lambda}$$ cf. Westph. II² p. 156. 331.

Quamquam in omnibus quae servantur modulationibus musicis illam quam priore loco posui rationem habitam esse videmus, ut hymn. in solem 1 sq. anapaestos cyclios ita modulatos invenimus

◡ ◡ | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ | ⊔ | –,

quae eadem est modulatio hymni in Nemesim v. 4.

In fine paroemiaci qui idem totius periodi finis sit numerus quoad fieri potuit iustus servatur. Scilicet thesis illa paenultima, quam quattuor per spatia sonare modo dixi, nusquam solvitur. Atque arsis paenultima sane in antiquiore et comoedia et tragoedia sicut in bellicis carminibus nonnumquam contracta invenitur, ut apparet ex hoc versu, quem Hephaest. p. 27 servat *ἄγετ', ὦ Σπάρτας ἔνοπλοι κοῦροι, ποτὶ τὰν Ἄρεος κίνασιν.*

in comoedia antiqua Cratin. Odyss. 2. vol. II. p. 1. p. 94. Mein.

ὡς ἂν μᾶλλον τοῖς πηδαλίοις ἡ ναῦς ἡμῶν πειθαρχῇ.

in comoedia dorica Aristox. apud Hephaest. l. l.

τίς ἀλαζονίαν πλείσταν παρέχει τῶν ἀνθρώπων; τοὶ μάντεις.

denique apud Aeschylum *suppl.* 8. 976. Pers. 32. (152) Ag. 366, quo alium quoque versum trahemus Pers. 55. Sed in posteriore fabula arsis illa semper bisyllaba est, nisi si qua irrisio latet, cf. Rossb. Westph. II² p. 408. Quare neque thesis antecedens i. e. secunda solvi potest, quod

tum proceleusmaticus esset – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ – – neque formae huius exemplum est – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – – –.

Postremo locis longe plurimis pars haec paroemiaci posterior caesura omni destituta est.

Si aliqua est, eam in tragoedia semper post priorem arsim habes ⏑ ⏑ | – –, numquam post priorem syllabam brevem ⏑ | ⏑ – –. Nam talis in tragoedia incisio elisione semper deletur, ut Ant. 837 *ἔγκληρα λαχεῖν | μέγ' ἀκοῦσαι.* Neque usquam inter ultimas duas syllabas feritur. Immo ne enclitica quidem vox ita ad verbum proximum applicari videtur, ut in ista sede commissura Aeschylo et Sophocli placeat. Sunt enim duo Aeschyli loci choeph. 374 *μείζονα | φωνεῖς. | δύνασαι γάρ* in anapaestis qui inter planctus strophas interiiciuntur et Prom. 297 *φίλος ἐστὶ | βεβαιότερός σοι,* qui versus caesuram primariam praebet ab Aeschylo alienam, ut infra videbimus.

In fabula posteriore exempla compluria sunt, ut hoc Sophoclis Oed. Col. 1753. *νέμεσις γάρ.* Denique Eur. Alc. 37 *Πελίου παῖς* nullam ultimi pedis caesuram esse supra iam vidimus §. 11.

Ceterum si caesura primaria trochaica est, altera pars remanet haec ⏑ – –, quae numquam percutitur.

Hae igitur omnes partis posterioris catalecticae incisiones sunt, si caesurae primariae sunt.

Videamus nunc de priore illa acatalecta, cuius in una quaque sede spondeus frequens apparet. Voluerunt enim tragici poetae exitum esse quam gravissimum. Sed id quod Porsonus p. 46. Hermannus el. p. 403. alii contendunt, primam thesim solvi, certis legibus circumscribamus necesse est.

Diversa enim sunt duo paroemiaci genera, caesuras si spectamus. Maxima enim pars ea est, quae incisionibus utitur primariis dipodica vel trochaica. Atque facile intellegitur eandem tum partis prioris plane esse condicionem, quam dimetri acatalecti dipodiae prioris. Itaque sicut sunt eaedem incidendi rationes, nisi quod caesura trochaica in paroemiaco paullulo frequentior esse videtur, item contrahendi solvendive regulae non differunt. Spondei enim admittuntur et dactyli. Sed cum alterius partis prima arsis non contrahatur, inde sequitur dactylo non esse locum nisi in secunda paroemiaci sede. Nam tum quattuor syllabae breves inter se coniungerentur. Formam autem hanc, de qua quis in tragoedia Aeschylea cogitare poterat – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –, in usu non fuisse iam ostendimus.

§. 17.

De laesis caesuris primariis.

Est autem aliud, si caesura primaria neglegitur, itaque nec dipodica nec trochaica est. In quo certum agnoscendum est consilium ultimas duas totius periodi dipodias aptius coniungendi, ut postremum illud totum membrum, cum non iam in duas leviores dipodias dividi possit, graviorem efficiat exitum.

Itaque fluctuans periodi in singulas dipodias dissolutae impetus eo magis sedatur, quo longius, gravius, placidius est membrum illud finale.

Tum semper fere — sunt enim de locis sedecim legitimis duodecim — ante thesim tertiam inciditur, id quod propterea facile conceditur, quod semper dipodiae duae remanent, quae certa numeri ratione coniunguntur:

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ dipodia anapaest. hypercatal.

⏝ – dipodia dactylica brachycatal.

Similis est in versu heroico duarum tripodiarum coniunctio

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – trip. dact. catal.

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – trip. anap. hyperc.

Hanc quam *caesuram* volumus dicere *hypercatalecticam* semper comitatur altera prioris partis secundaria sola, quae est primi pedis diaeresis. ⏖ – | ⏖ – ⏑ ⏑ | ⏝ –

Caesura eiusdem pedis trochaica, cuius per se optima est ratio, ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ | – – in parodicis, episodicis, finalibus non invenitur, sed in eis semel qui inter planctus sunt positi choeph. 1016. Unus est locus qui caesuram hypercatalecticam praebet ceteris commissura vocalium obscuratis Prom. 1070 τῆσδ' ἥντιν' ἀπέπτυσα | μᾶλλον.

Tres unam tantum habent primi pedis diaeresim Eur. fragm. 475, 3. ib. 550 ed. Nauck, quo spectat Prom. 1043 πάντως | ἐμέ γ' οὐ θανατώσει. Neque enim hunc versum bis incidere males. Talis enim incisio ab anapaestis legitimis aliena esse videtur. In ipsis enim libris non reperitur nisi uno loco *Ag. 772* εὔφρων πόνος εὖ τελέσασιν, quem corruptum esse nemo nunc qui Aeschylum edidit dubitavit. Altero loco *Ag. 800* paroemiacus ex Hermanni coniectura hic est: Ἑλένης | ἕνεκ', | οὐκ ἐπικεύσω. Neque probo, quod librorum scripturam voce σ' inserta servant editores:

Ἑλένης ἕνεκ', οὐ γάρ (σ') ἐπικεύσω.

Nam tum est dimeter acatalectus omni caesura destitutus primaria, sed sic locum emendare mihi videor:

Ἑλένης ἕνεκεν, κοὐκ ἐπικεύσω.

Atque paroemiacum, cuius caesura ea, quae a dimetro acatalecto aliena est, semper fere illa quidem hypercatalectica est, omnino apparet non ad similitudinem versus heroici extremi compositum esse, sed si quid simile sit id in ipsa iam unius cuiusque metri natura inesse.

Nam ea ipsa forma quae est hexametri exeuntis frequentissima bucolica ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – – omnino non extare videtur in hoc anapaestorum genere severissimo. Neque puto tragicam paroemiaci esse caesuram hanc ⏖ – – | – ⏑ ⏑ – –. Nihil enim contra hanc meam sententiam facit quod Henr. Weilius *Ag. 1337* θεότιμος δ' οἴκαδ' ἱκάνει coniecit pro θεοτίμητος δ'. Nam quem ab Weilio iure requiri concedo paroemiacum alio modo restituendum esse responsione puto periodorum appariturum, de qua infra agetur.

Pers. v. 55 in editionibus quidem hic est τοξουλκῷ λήματι πιστούς. Sed est is paroemiacus, qui a grammaticis cum dimetro acatalecto mutatus sit. In Mediceo enim est καὶ τοξουλκῷ λήματι πιστούς. At illi paroemiacorum correctores singula verba non solum interpolaverunt

addito *καί* illo absurdo, sed etiam transposuerunt. Fuerunt enim haec:

λήματι πιστοὺς τοξουλκῷ.

Ceterum *Ag. 67* putaverit quis ita incidi *Δαναοῖσι* | *Τρωσί θ' ὁμοίως*. Nam quod Hermannus voluit verbo *Δαναοῖσι* periodum finiri, novam incipi ab *Τρωσί θ' ὁμοίως* maxime propterea improbatur, quod a sententia hac: *ἔστι δ' ὅπῃ νῦν ἔστι* novam periodum initium capere necesse est, quod Engerus ad h. l. bene intellexit. Nec tamen locum, ut supra exhibui, scribendum censeo. Nam si duo verba per *ὁμοίως*, *ὁμοῦ* vel simili modo coniunguntur, *καὶ - καὶ* vel *τὲ - καὶ* vel *καί* simplex, vel uno alterove denique loco *τέ - τέ* usurpatur, numquam solum *τέ* illud. Itaque *Δαναοῖς καὶ Τρωσὶν ὁμοίως* malo quam *Δαναοῖσί τε Τρωσί θ' ὁμοίως*. Atque revera unus Sophoclis paroemiacus est huius scansionis ⏑ ⏑ – – | – ⏑ ⏑ | – – *Ant. 939.* *ἄγομαι δὴ κοὐκέτι μέλλω.* cui quidem paroemiaco locus non esse videtur; immo corrige *ἄγομαι δὴ 'γὼ κοὐκέτι μέλλω.*

Itaque hanc percussionem ⏔ – – | – ⏑ ⏑ – – poetae tragici eadem de causa fugerunt, qua dipodiam spondiacam neque – – – | – nec – | – – – incidere voluerunt. Quae est eadem caussa, cur hexameter dactylicus saepe quidem hunc exitum ⏔ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – – habeat, raro eius modi ⏑ ⏑ – – | – ⏑ ⏑ – –. Videtur enim in hac scansione ⏖ ⏖ ⏗ – languor et relaxatio quaedam inesse, quae comicis acceptissima est, quos forma hac: ⏔ – – | – ⏑ ⏑ – –, quam tragici contempserunt, in fine tetrametri et hypermetri libentissime usos esse infra ostendetur.

Nec puto eos, qui eandem, qua de actum est, formam vitaverunt, admisisse illam – ⏑́ ⏑ –

Talia enim viri docti recenti tempore coniecerunt, ut *Ag. 104.* *θυμοβόρον φροντίδ' ἄπληστον* Karsten. *θυμοβόραν φροντίδ' ἀπ.* Keck et, ut videtur, antiquo iam tempore grammatici illi, qui *Soph. Ai. 1116* scripturam hanc probasse videntur:

κοὐδενί πω | *λῴονι* | *θνητῶν.* Hic enim locus, quem in Laurentiano ceterisque libris interpolatum legimus *κοὐδενί πω λῴονι θνητῶν Αἴαντος ὅτ' ἦν τότε φωνῷ* vereor ne gravioribus vitiis laboret, quae cum interpolatione coniuncta esse soleant. Fortasse locus ideo corruptus est, quod omnia aliorum verborum ambitu explicata fuerunt in hunc fere modum:

καὶ οὐδενὶ	*λῴονι*	*θνητῶν*
κοὔτῳ	*βελτίονι*	*φωτῶν*

Utut hoc est, certe nego talem versum scriptum esse a Sophocle, qui paroemiacum nisi caesuris dimetri acatalecti primariis, semper caesura utitur hypercatalectica cum primi pedis daeresi sociata. Idque eo magis puto verum esse, quod hic locus etiam propter thesim in caesura hypercatalectica solutam unicus est. Nam cum neque huius formae – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – – aliud exemplum sit neque forma haec – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – ullo umquam loco extet, apparet, si ab caesuris primariis dipodica et trochaica discedas, poetas a dactylis plane abstinuisse. Quae cum ita sint, iam possunt quae statuo

§. 18.

Duo paroemiaci genera accuratius distingui.

Differunt enim non solum caesuris primariis illis neglectis vel servatis, verum etiam eo, quod ei paroemiaci, qui primariis caesuris destituti sunt, in prima sede itaque omnino dactylum non admittunt, id quod in altero genere saepissime fit.

Nam dactylus tum demum ponitur, si sequentem habet spondeum in hunc modum:

– ⏑ ⏑ | – – . – ⏑ ⏑ – – ⏑ . – ⏑ | ⏑ – – .
– ⏑ | ⏑ – – ⏑ . – ⏑ ⏑ – – . – ⏑ ⏑ – – ⏑ .

Ceterum alia ratio est, qua caesurae paroemiaci dipodica et trochaica diversae sunt ab illis dimetri acatalecti. Caesura enim trochaica, quam triginta locis adhibitam esse in dimetris acatalectis tragicorum docuimus, in paroemiaco aliquanto frequentior est. Sunt enim *Aeschyli* exempla inter octoginta unum paroemiacos viginti, *Sophoclis* de triginta septemdecim. Denique quod minime exspectaveris, *Euripides,* qui alias caesura illa plane abstinuit, in paroemiaco tam saepe fere quam ipse Aeschylus adhibuit. Sunt enim Euripidis paroemiaci, qui primarias habent caesuras, nonaginta quattuor, quorum viginti duo praebent trochaicam, atque duobus tantum locis ita, ut τέ et γάϱ ad antecedentem dipodiam applicentur Hec. 1295 Iphig. Aul. 48.

Sed Euripidis alius quoque huius incisionis usus est atque ceterorum. Nam cum apud Aeschylum maxime atque Sophoclem hac caesura trochaica duae paroemiaci partes non aptius vinciantur, quam dipodiae saepe dimetrorum acatalectorum, apud Euripidem, qui ceteras dipodias nusquam hac eadem caesura coniungere solet, in paroemiaco eadem hac caesura adhibita coniunctio quaedam aptior fit, quod idem Aeschylus et Sophocles non potuerunt efficere nisi caesura hypercatalectica. Quare id quoque facile explicatur, cur Euripides caesura hypercatalectica minus opus habuerit ad paroemiacum variandum, quam duo illi tragoediae auctores. Nam quae in 88 paroemiacis Aeschyleis octies, in 40 Sophocleis ter invenitur caesura hypercatalectica, de 94 paroemiacis Euripideis ter apparet, ut de fragmentis taceam, in quibus quod sit genus anapaestorum non facile dignoscas. Denique idem Euripides in eis locis, quibus incisione trochaica usus est, eandem legem observavit, quam Aeschylus et Sophocles in hypercatalectica caesura, ut non esset dactylus, nisi uno loco dubio Iphig. Aul. 11. τόνδε | κατ' εὔϱιπον | ἔχοντες. Quamquam textus Sophoclis et ipsius caesura in paroemiaco trochaica sequenti dactylum in prima sede non praebet, quod cum alias, cf. Ant. 141, in dimetris acatalectis fiat, casu factum esse videtur vel eo potius, quod Sophocles fini gravitatem imponere mavult spondeis saepe admissis, anapaesto vulgo in prima sede repudiato, nedum dactylo adhibito.

Itaque, ut omnia paucis complectar,

Sophocles locis 37 caesuras ponit dipodicam et trochaicam primarias,

ter hypercatalecticam cum primi pedis diaeresi. Ai. 220. Ant. 162. Trach. 1263.

Euripidis omnino sunt 94 paroemiaci legitimi, quorum 91 caesuras illas vulgares praebent, tres suppl. 983. El. 1359. Iph. Taur. 1491 hypercatalecticam. Contra El. 997. *καιρός . . . ὦ βασιλεία* lacunosus quidem versus est, immo corruptissimus, sed minime sic mutandus *καιρός. χαῖρ', | ὦ βασιλεία*, ut Nauckius volt.

Denique Aeschylus octogies caesuris primariis utitur, quinquies hypercatalectica cum primi pedis diaeresi coniuncta, Pers. 28, suppl. 979. Prom. 192. 886. 1093.

Sed animadvertendus est transitus quidam qui fit ad formas liberiores tribus Promethei locis, quorum in uno 1074 incisio sola hypercatalectica apparet, in altero 1053 sola primi pedis diaeresis, quam eandem solam in paroemiacis duobus Euripidis fragmentorum videmus 475, 3 et 550 ed. Nauck., in tertio denique 297 qui anapaestis puris constat, caesura sola primi pedis trochaica est *φίλος ἐστὶ | βεβαιότερός σοι.*

Postremo duo paroemiaci Aeschylei magis ab legitimis abhorrent Ag. 1467 *ἀξύστατον | ἄλγος | ἔπραξεν.* et Pers. 917 *θανάτου | κάτα | μοῖρα | καλύψαι*, qui quidem non iam sunt vere legitimi vel, ut ita dicam, severissimi. Prior enim in anapaestis illis, qui in chori de Agamemnonis morte planctu sunt, alter sane episodicorum videtur esse, sed in initio est planctus Xerxis qui est liberorum.

Denique choeph. 1009 *μίμνοντι δὲ | καὶ πάθος | ἀνθεῖ* liberi carminis esse apparet.

Cap. VII.

De tetrapodiae et dipodiae vi rhythmica.

§. 19.

De tetrapodiae ictibus.

Chorus ad pedes anapaesticos procedebat, neque ita tamen, ut cuique dipodiae esset passus, sed sic, ut passus esset cuique pedi, pedis igitur elevatio cum arsi, pedis positio cum thesi conveniat.

Itaque toti dipodiae duo passus sunt sive corporis positio *κίνησις σωματική*. Id enim disertis verbis Marius Victorinus p. 104. docet (per pedem incedentes canunt ad tibias) cf. Rossb. Westph. II^2 p. 397.

Falsa illa sententia de dipodia unum passum efficienti nata est ex eo, quod metrici dicunt *τὸ ἀναπαιστικὸν κατὰ διποδίαν βαίνεται* Hephaest. p. 174 et 177. Sed ea verba non ad passus singulos spectant, sed ad percussionem rhythmicam, cf. Rossb. Westphal. rhythm. I^2 §. 61.

Sed cum sonum vocis pulsus pedis vel manus modularetur, de percussione dicitur *βαίνειν.* Itaque his verbis nihil aliud dici potest nisi tetrapodiam ita percussam esse, ut cuique dipodiae esset unus ictus, quare tota tetrapodia dimeter appellatur. Bis enim feritur. Eodem modo

senarius trimeter dictus est, quod ter percutitur itaque per singulas dipodias scanditur. Atque ea pars, ad quam totius numeri modulatio instituitur, a veteribus *βάσις* dicta est. Sic trimetri sunt tres bases:

⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ –
βάσις | *βάσις* | *βάσις*

At hexametri dactylici, cuius singuli pedes feriuntur, tot sunt bases quot pedes

– ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – –
βάσις | *βάσις* | *βάσις* | *βάσις* | *βάσις* | *βάσις*

Sed idem versus dipodiis singulis tribus percussus non iam hexameter, sed trimeter est, cf. Mar. Victorin. p. 93. Rossb. Westph. II[2] p. 345.

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – –
βάσις | *βάσις* | *βάσις*

Itaque dimeter anapaesticus combinatis pedibus bis feritur:

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –.

Quamobrem basis nomine dicitur ea dimetri anapaestici pars, quae unam percussionem habet, i. e. bini pedes per scansionem dipodicam iugati. Denique binae bases ita consociantur, ut sit dimeter.

Quare prioris dipodiae qui est ictus potior putandus est quam alterius, cum priorem illum per totam tetrapodiam dominari consentaneum est:

⏑ ⏑ –″ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –′ ⏑ ⏑ –

Denique in anapaestis

§. 20.

B a s e s

singulae inveniuntur, quae non habere videntur, quibuscum combinentur. Quarum si rationem metricam spectamus, eisdem legibus constringuntur quibus reliquae dipodiae. Itaque ne quis putet haec esse membra concisa vel circumcisa, ut modulatio haec sit:

⏑ ⏑ –″ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –′ ⏑ ⏑ – protasis
⏑ ⏑ –″ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –′ ⏑ ⏑ – medium
⏑ ⏑ –″ ⏑ ⏑ –′ medium circumcisum
⏑ ⏑ –″ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –′ – apodosis,

quam quidem componendi rationem sicut nostratibus, Graecis quoque non inusitatam fuisse carmina maxime docent ea, quae ab Hermanno doria dicta sunt, ab Westphalio ex notione qua veteres usi sunt *ἐπισύνθετα*, cf. Westph. II[2] §. 54. 4a.

Sed alia est numeri chorici, alia anapaestorum ratio. Nam si poneremus hoc esse membrum per se plenum, necessario dimeter esset quoque pede percussus ⏑ ⏑ –″ ⏑ ⏑ –′, cf. Westph. II[2] p. 177.

Itaque numeri esset mutatio quaedam statuenda, cum numerus qui ad octonas moras scanditur numero interrumperetur qui per quaterna spatia fit. Quae numeri mutatio non ignota quidem est antiquis rhythmicis, cf. Westph. Rhythm. §. 62. 2. maxime p. 686, sed plane aliena videtur ab hoc genere severissimo ac maxime aequabili.

Sed maxime huic opinioni veterum, quam modo illustravi, doctrina repugnat, cui quidem hoc nomen basis ipsum debemus. Nam *βάσις ἀναπαιστική*, quod nomen inprimis invenitur in scholiis Heliodori Euripideis, nihil aliud significare potest nisi dipodiam semel percussam, minime autem dimetrum quovis pede qui scanditur quique binis basibus constet.

Itaque homines docti ut hanc basim explicarent aliam ingressi sunt viam. Atque *Albertus* quidem *Thierfelder* de Christianorum psalmis et hymnis (Lps. 1868) p. 23 et 31, cum basis illa levis ante paroemiacum ponatur, id in hymno Clementis Alexandrini ita explicare studet, ut basim illam per se stantem et priorem paroemiaci partem unum efficere velit ordinem tetrapodicum, denique dipodiam quae est paroemiaci alteram catalecticam esse ordinem, quo tota periodus finiatur, post quem per octo moras pausa sit, velut si finem Oedipi Col. sic modulatum esse vis

θρῆνον ἐγείρετε· πάντως γὰρ ἔχει

τάδε κῦ | ρος ⊼ ⊼

Quae eadem esse videtur *J. H. Henrici Schmidtii* sententia, quantum ex distributione ordinum, quam instituit parodi Oedipi Colonei (Eurhythmiae Lips. 1868 p. 62.), apparet.

Sed unum in hac sententia est quod male nos habet, quod eae bases, quae paroemiaco proxime non antecedunt, nondum explicantur.

Id ipsum *Hermannum Buchholtz* p. 2 movisse videtur, ut pausam quattuor morarum post quamque basim esse statueret. Quam eandem sententiam nunc *Westphal* II² p. 178 et p. 410 protulit maxime Weiliana illa lege ductus, ex qua basis et dimeter inter se responderent. Hanc enim legem ita explicare posse sibi visus est, ut cantorem quidem putaret non canere nisi dimidiam tetrapodiae partem, tum silere per duorum pedum intervalla, quae crusi explerentur i. e. tibiis modos anapaesticos comitantibus. Sed ne sic quidem responsioni satisfactum videtur; neque omnino tale silentium in omnibus his locis esse potest. Notum est enim tales anapaestos ab antiquis musicis et rhythmicis dici *πνῖγος* vel *μακρόν*, quoniam uno tenore (*ἀπνευστί*) recitati vel cantati sint. Quo fit, ut silentium ne per unam quidem moram liceat statuere, nedum per duorum pedum spatia, quorum vis sit octo morarum*).

Itaque intra totam periodum anapaesticam silentii locus nullus est. Quocum bene convenit quod Terentianus Maur. 1512 dicit: anapaestica fiunt . . . per *συνάφειαν*, et Mar. Victor. p. 103 periodos anapaesticas *στάσιμα* vocat i. e. continuas. cf. Westph. I² p. 665.

Sic igitur nulla superest explicatio nisi ea, quam *Thierfelder* de hymno Clementis Alexandrini proposuit. Itaque ante paroemiacum quae

---

*) Haec nomina *πνῖγος*, *μακρόν*, quae in eis qui servantur fontibus non dicuntur nisi de hypermetris ad parabasis tetrametros applicatis, ex coniectura ipsius *Westphali* maxime probabili in omni hypermetro (anapaestico) valere videntur, cf. Philol. 20 p. 273. quod idem ille repetit metr. I² p. 665 II² p. 411. Atque etiam si Westphali coniecturam minus probemus, res eadem erit. Nam in ipsis his parabasis hypermetris tales dipodiae sunt, ut av. 730. vesp. 723.

sunt bases bene explicatas esse nemo negabit. Apodosis enim tum ultima paroemiaci dipodia catalectica continetur ⏑ ⏑ ⊔ –, quod nihil habet offensionis. Nam similem clausulam Sapphicae strophae adonius efficit, qui quantum differt ab hendecasyllabo silentio expletur, quod inter singulas strophas est.

Illud certe quod paroemiacus saepe ita comparatus est, ut post priorem dipodiam incidi non possit, nihil contra hanc rationem facit. Nam id ipsum in versibus adoniis poetae instituere solent, ut cum versu antecedenti coalescat. Denique etiam id sine dubio verum est, basim quae ante paroemiacum sit non gravem esse, sed levem, a qua gravior quaevis sententia absit, quam homines nonnulli in basi inesse volunt.

Videamus igitur de ceteris. Atque primum quidem bases, quae sunt in comicis hypermetris, facilem habent explicationem.

Nam in comicis his anapaestis verborum continuitatem in fine cuiusque dimetri non oportere interrumpi, ex eo apparet, quod caesura trochaica in dipodiis quae inter se excipiunt ponitur, cf. vesp. 752 *ἴν' ὁ κήρυξ φησί, τίς ἀψήφιστος; ἀνιστάσθω.* Itaque semper licet ordines ita discernere, ut basis illa ante paroemiacum sit, ut av. 729 sq.

Id ipsum in hypermetris iambicis *Theodorus Bergkius* iamdiu fecit, ut equ. 378 *τὴν γλῶτταν ἐξείραντες αὐ- | τοῦ σκεψάμεσθ' εὖ κἀνδρικῶς | κεχηνότος τὸν πρωκτόν, εἰ χαλαζᾷ.* Sed quominus eandem rationem in anapaestis persequeretur, comparatio anapaestorum tragicorum impedivisse videtur, de quibus nunc videndum erit.

Atque ratio ante omnia quaerendum est num sit, qua ducti semper disceptemus quae sit basis, quae dipodiae coniungendae.

Illam quidem, quae ab editoribus poetarum scaenicorum graecorum plerisque inita est, probare non possum. Nam si qua dipodia verborum maiestatem vel sententiae gravitatem splendoremve satis continere visa est, eam pro basi habent. Itaque multas esse bases ex libero cuiusque arbitrio constitutas vides, in quibus ne id quidem ipsum inest quod isti voluerunt pondus. Nam quae esset praeclara talium basium moles, quales sunt Ag. 46 *τῆσδ' ἀπὸ χώρας* 98 *καὶ θέμις αἰνεῖν*, 1498 *μηδ' ἐπιλεχθῇς* 1552 *τοῦτο· πρὸς ἡμῶν.* Pers. 19. *πεζοί τε βάδην* et id genus aliae, me assequi non potuisse ingenue profiteor. Atque si unus quisque pro arbitratu suo ordines distribuit, omne omnino firmum fundamentum deest.

Quare non difficile fuit *Henr. Weilio* legem demonstrare, ex qua periodi singulae inter se responderent. Nam bases quotlibet statuit, quae dipodiae vim haberent, quam quidem responsionem omnino non extare ex eis, quae allaturus sum sequenti capite, exemplis appariturum spero.

Neque etiam ex elisione vocalium aliquid effici cogique potest de ordinibus distribuendis, ut ex §. 7 apparet.

Itaque ante omnia concedendum est, unicam, ex qua basis praeter eam, quam ante paroemiacum esse voluimus, cognoscatur, rationem esse in caesura trochaica positam. Quum vero Euripides caesura trochaica abstinuerit, omni ratione destituti sumus, qua qui basis apud Euripidem fuerit locus intellegamus. Atque apud Sophoclem unus tantum extat

locus Ai. 146 σὲ τὸν ἱππομανῆ | λειμῶν' ἐπιβάντ' ὀλέσαι Δαναῶν | βοτὰ καὶ λείαν | ἥπερ δορίληπτος ἔτ' ἦν λοιπὴ | κτείνοντ' αἴθωνι σιδήρῳ. Ad quem alter locus accedere videtur Ai. 209. παῖ τοῦ Φρυγίοιο (La. Φρυγίου) Τελεύταντος si scribimus. Praeterea quattuor Aeschyli loci sunt Ag. 52. 84. 95. 1500, quorum tres basim ante versum ab initio sextum postulant, unus ante quartum, unus ante tertium ita, ut semper optio detur, utrum statim in primo loco ponamus an in altero.

Atqui unus locus Ag. 84. aperte demonstrat basis locum esse ante secundum ordinem i. e. in initio totius periodi. Itaque cum nihil impediat, quin basim hanc semper in principio ponamus, immo unus locus id postulet, quidni omnes praeter eas, quae paroemiaco antecedant, bases initio in totius periodi exordio positas esse sumamus? Nam initium sumi potest ab tali basi neque periodi continuitas deletur. Nam prior primi ordinis quae desideratur dipodia a tibicinibus tum canebatur, alterius dipodiae, a qua coryphaeus vel alius quis actor vicem suam suscipiebat, modulatio ea erat, ut conexus appareret qui esset inter praeludium tibiarum illud et hanc basim. Loci enim omnes, imprimis in Aeschyli parodo Agamemnonia quam maxime id suadent: Ag. 84. σύ τε, Τυνδαρέα | θύγατερ, βασίλεια Κλυταιμνήστρα. 88. πάντων δὲ θεῶν | τῶν ἀστυνόμων, ὑπάτων, χθονίων. 48. μέγαν ἐκ θυμοῦ | κλάζοντες Ἄρη τρόπον αἰγυπιῶν, | οἵτ' ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων | ὕπατος λεχέων στροφοδινοῦνται.

97. τούτων λέξαις | ὅτι καὶ δυνατὸν καὶ θέμις αἰνεῖν.
55. ὕπατος δ' αΐων | ἤ τις Ἀπόλλων ἢ Πὰν ἢ Ζεύς.
92. οὐρανομήκης δ' | ἄλλόθεν ἄλλη λαμπὰς ἀνίσχει.

Cap. VIII.

De periodorum anapaesticarum responsione.

§. 21.

In universum.

Cum nullum in periodis continuis anapaesticis silentii spatium sit, si eadem hypermetra repetantur, tetrapodiae tetrapodia, basis basi respondeat necesse est. At licet singulorum ordinum in responsione semper eadem mensura esse debeat, non tamen singulas cuiusque versus formas easdem esse Hermannus iam vidit el. p. 379. Respondet enim non pes pedi, sed versus versui eodem modo, quo systemata dochmiaca inter se respondent, nisi quod dochmiacorum responsio paullo accuratior esse videtur. Nam si qua thesis dissoluta vel arsis producta est, non necesse est, eam in eodem pede antistrophico, sed in eodem versu fieri. Contra in anapaesticis carminibus ne id quidem observatum esse invenimus. Nam omnino perinde est, utrum anapaesto item anapaestus an dactylus spondeusve respondeat.

Rossbachius et Westphalius ut hypermetra anapaestica inter se respondere plane negarent, doctrina, quam metrici tradunt, commoti esse videntur. Hephaestio enim p. 76 ed. Teubn. dicit: *εἰπόντων δὲ ἡμῶν ὅτι ἐστί τινα κατὰ περιορισμοὺς ἀ ν ί σ ο υ ς ἀναπαιστικὰ γεγραμμένα, ἃ δὴ ἐ ν π α ρ ό δ ῳ ὁ χορὸς λέγει.* Respicit enim locum, qui supra legitur p. 71. *τῶν δὲ ἐξ ὁμοίων τὰ μέν ἐστιν ἀπεριόριστα, τὰ δὲ κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους... κατὰ περιορισμοὺς δὲ ἀνίσους ἐστίν, ὁπόσα ἐξ ὁμοίων συνεστῶτα ἔχει κατάληξιν ἢ βραχυκατάληξιν μεταξύ, οὐ μέντοι ἴσοις μεγέθεσι ταύτην ἐπιζευγνυμένην ἀεί, οἷα μάλιστα φιλεῖ γενέσθαι ἐν ταῖς παρόδοις τῶν χορῶν.*

Sed quam infirma fuerit caussa, cur metrici id putaverint, ex eis quae sequuntur apparet: *ἐκεῖ γὰρ μετὰ δέκα ἀναπαιστικά, λόγου χάριν, καὶ κατάληξιν ἐπάγουσιν εὐθὺς ὅμοια μὲν καὶ ἀναπαιστικά, οὐ μέντοι τῶν ἴσων συζυγιῶν.*

Deinde Hephaestio minime dixit omnes anapaestos *κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους* esse i. e. non respondere, sed non nulla (*τινά*).

Denique paullo ante quod dicitur *τῶν ἐξ ὁμοίων τὰ μέν ἐστιν ἀπεριόριστα, τὰ δὲ κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους*, ipse postea Westphalius metr. II² p. 263 perspexit (id quod primo non fecit cf. philol. 20 p. 272) haec omnia pertinere ad ea carmina sola, quae responsione careant i. e. *ᾄσματα ἀπολελυμένα.* Nam iam ex eo quod dicitur *κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους*, nec tantum *κατὰ περιορισμούς* sequitur etiam carmina fuisse *ἐξ ὁμοίων κατὰ περιορισμοὺς ἴσους*, quod tertium genus ad ea quae h. l. tractanda sibi proposuisset carmina non pertinere, sed ad carmina respondentia vel *ᾄσματα κατὰ σχέσιν* et Hephaestio ante iam dixerat p. 66. *ὡς ἐὰν τεταγμένος ἀριθμὸς ᾖ, οὐκ ἔστιν ἐξ ὁμοίων, ἀλλὰ κατὰ σχέσιν* et scholiasta infra repetit p. 223.

Itaque tria hypermetrorum anapaesticorum genera esse possunt

1) *κατὰ περιορισμοὺς ἴσους*, si duo vel etiam complura systemata inter se respondent.

2) *κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους*, si hypermetra singula non repetuntur, qualis esse videtur *Aeschyli supplicum parodus,* cuius singulae periodi hae sunt 4. 3. 5½. 5. 3½. 3. 7. 4. 3. Itaque hoc carmen *ᾆσμα ἀπολελῡμένον* est, quod componendi genus bene convenit cum animis Danaidum fugientium angore maximo sollicitis. Eiusdem generis anapaesti *Aiacis* parodici esse videntur 134 sq. 3. 4. 6½. 6. 10. 8. et *Aesch. suppl.* 966 finales: 8. 2. 3.

3) *ἀπεριόριστα* sunt carmina, quae una periodo continentur, cui nulla respondet altera. Tales sunt anapaesti episodici fere omnes atque finalium maxime *Aesch. suppl. 625. Soph. Ant. 929,* intra quam ultimam ipsam periodum Hermannus frustra studuit responsionem efficere el. p. 381.

Restat, ut de periodis quae inter se respondeant agamus. Sed omnia quae huc spectant ad finem quendam perducere neque consilium est neque a me pro viribus meis perfici posse spero. Sed etsi non omnia, at singula nonnulla perlustrare licebit, ne omnino de responsione dubitetur. Ac primum quidem

§. 22.

Parodi Aeschyleae anapaesticae

praeter supplicum omnes ita compositae esse videntur, ut unumquodque hypermetrum haberet cui responderet. Sed ex eo iam, quod metricos posteriores haec responsio fugit, singula quaeque hypermetra apparet non tam simplici forma inter se respondere, quam cantica pleraque, sed satis esse, si quod hypermetrum etiam progressa iam latius oratione repetatur. Atque cum chorus anapaestos recitans, ut videtur, non incederet recederetve nisi circa thymelam, sane variatio in summa ipsius circuitus diversitate et totius carminis anapaestici conexus in mutuo quod esset inter singulas periodos quantumvis disiectas repetitionis vinculo conspiceretur necesse fuit. Itaque responsio anapaestorum implicata admodum et paene impedita non tam valde miranda est.

Quamquam confiteor neque eam, quam Weilius proposuit neque quam Keckius parodi Agamemnonis responsionem mihi ut alias minime satis fecisse.

Sed agamus de *Persarum parodo.* Atque ante omnia opus est glossemata e textu Aeschyleo moveri, ut verba *καὶ πολυχρύσων* v. 3. Hartungius et Teufelius eiecerunt, v. 23 *ταγοὶ Περσῶν*, quae explicatio videtur ad nomina quae antecedunt propria adscripta cum verbisque quae sequuntur *βασιλῆς βασιλέως* pugnans. Quo accedit v. 5, quem Med. sic praebet *οὓς αὐτὸς ἄναξ Ξέρξης βασιλεὺς Δαρειογενὴς Δαρείου υἱός*, quae verba aucta videntur e comparatione v. 144 *πῶς ἄρα πράσσει Ξέρξης βασιλεὺς Δαρειογενής*;

Ceterum Hermanni coniectura quamquam audax probanda videtur, ex qua v. 13 pro *ᾤχωκε, νέον δ' ἄνδρα βαΰζει* scribitur *ᾤχωκε νέων*, eiectis verbis *ἄνδρα βαΰζει*, sed *δὲ βαΰζει* ad versum 11 additur: *θυμὸς, ἔσωθεν δὲ βαΰζει.*

Neque sic periodi inter se singulae respondent:

$$5\tfrac{1}{2} \,.\, 4 \,.\, 3\tfrac{1}{2} \,.\, 4\tfrac{2}{2} \,.\, 7 \,.\, 4 \,.\, 8 \,.\, 8 \,.\, 7 .\, 2\tfrac{1}{2} \,.\, 5\tfrac{1}{2}$$

Sed apparet Aeschylum undecim systemata non voluisse scribere, sed duodecim. Itaque post v. 18, quem vitiosa syllaba brevi finiri vidimus, paroemiacus totus periisse videtur. Quo inserto hypermetrum $4\frac{2}{2}$ ordinum in partes dividitur has $3\frac{1}{2}$ et $2\frac{1}{2}$, quibus optime conveniunt ea quae restant duo hypermetra:

$$\begin{array}{cccccccccccc} 5\tfrac{1}{2} \,. & 4 \,. & 3\tfrac{1}{2} \,. & 3\tfrac{1}{2} \,. & 2\tfrac{1}{2} \,. & 7 \,. & 4 \,. & 8 \,. & 8 \,. & 7 \,. & 2\tfrac{1}{2} \,. & 5\tfrac{1}{2} \\ a \,| & b & c & c' & d & e & b' & f & f' & e' & d' & |\, a' \end{array}$$

quae quidem periodorum divisio tantum abest, ut difficilior sit quam quae a populo Atheniensi perspici potuerit, ut aptissima videatur, dum modo in mentem vocemus his anapaestis recitatis chorum circa thymelam isse et redisse. Nam cum periodi prima et ultima inter se respondeant, chorus totidem passibus usus videtur, usque dum thymelam aggrederetur, quot in fine, ut eum, qui opus esset ad canticum parodicum incipiendum, locum caperet.

Deinde quod *d e — e d* forma haec $2\frac{1}{2} + 7$ sic repetitur $7 + 2\frac{1}{2}$, id

minime mirandum est. Saepissime enim in ipsa anapaestorum responsione idem reperias, ut periodus admodum longa cum altera minimi circuitus periodo ita coniungatur, ut mutato loco repetantur. Idque facilem explicatum habet. Nam cum chorus ita incedat, ut aliquo modo paullulum declinet, necesse est si redeat idem fiat inverso tamen ordine. Denique maxima venustas huius compositionis in eo posita esse videtur, quod periodus *b* non statim repetitur, sed ita, ut non solum unum periodorum par *c c′*, verum etiam, ne totum carmen in duas partes dissolvatur, desuper inter *cc′* et *b′* alterum alius paris dimidium *de* interponatur; cuius et ipsius paris priusquam altera pars *e′d′* ponatur binae periodi ultimae *f f′* ne e mutuo carminis conexu eximantur, aptissime inseruntur. Itaque has duas formas *b c c′ b′* vel *a b b′ a′* et *d e f f′ e′ d′* vel *c d d′ c′* ita implicatas habemus: *a b b′ c a′ d d′ c′* vel etiam accuratius $a\ b\ b'\ \underbrace{c\ d}\ a'$ $c\ e'\ \underbrace{d'\ c'}$.

Postremo ad omnes has saltandi figuras exsequendas bis tantum opus est iter convertere, cum ab *c* statim ad *c′* et ab *f* ad *f′* pergatur: id quod optime responsioni quam statuimus convenit

$$b\ c\ c'\ \underbrace{d'\ e'}\ b'\ f'\ \underbrace{f\ e}\ d.$$

Deinceps *Ag. 40—104* de ea, quam Weilius olim voluisset, responsione quid censendum esset Keckius p. 225 docuit. Probari enim nón potest, quod basis anapaesticae falsa habetur ratio. Deinde Weilius auctore Hermanno v. 66 et 67 falso distinxit, ut supra vidimus. Denique parodus quae fit ex *Keckii* sententia, mihi non iam Aeschylea, sed Keckiana videtur. Iniecit enim omnino novem dipodias, cum uno tantum loco 42 post ἤδ' Ἀγαμέμνων lacunam esse ostendat, et glossema illud v. 70 diu iam remotum non reiecit, immo etiam auxit. Deinde statuendum est, ultimae periodi partem ultimam v. 103. 104 glossematis ita depravatam esse, ut vera et falsa vix dignoscas*), quare eius certa ratio omnino non potest haberi, Ceterum non male Weilium v. 75 paroemiacum, qui a grammaticis saepe mutatus est, levi emendatione restituisse Keckius vidit, sicut Ahrensium v. 86.

Tum de verbis v. 88 sq. quae fuit suspitio, Engeri coniectura τῶν τε θυραίων (M. τῶντ' οὐρανίων) remota est. Nec possum negare v. 85 iure viros doctos (ut Karstenium, Keckium) offendisse in δὲ particula interposita in tertia quaestione τί δ' ἐπαισθομένη, τίνος ἀγγελίας πευθοῖ cet. Denique ut haec omnia concedamus, unus remanet locus plane corruptus v. 78.

Sententias si spectamus totius huius parodi tres esse partes apparet (non unam, ut in Persarum parodo), ultimam, quae anapaestis illis episodicis continetur 84—104., primam, qua de expeditione Atridarum Troiana agitur usque ad 67. Tertia denique parte senectus a senibus describitur. Sed vv. 67—71, quibus transitum quendam fieri apparet,

*) In Med. enim haec sunt verba τοτὲ δ' ἐκ θυσιῶν ἀγανὰ φαίνεις ἐλπὶς ἀμύνει φροντίδ' ἄπλειστον τὴν θυμοφθόρον λύπης φρένα.

utrum ad antecedentia an ad sequentia sumendi sint dubium non erit, si querimonia de senum infirmitate illa intellegitur, quo conexu utatur cum antecedentibus. Planum est enim senes ea, quae est „fatum quin Troianis exitiale sit neminem vertere“ sententia ductos de ipsorum omnino impotentia verba facere.

Sumamus igitur tres partes esse 40—67. 67—83. 84—104, deinde post v. 42 ἦδ' Ἀγαμέμνων minimam particulam i. e. dipodiam perisse, denique verba τί δ' ἐπαισθαμένη spuria esse, iam haec est repetitio $7\frac{1}{2}$. 6 . $4\frac{1}{2}$. $7\frac{1}{2}$. | 4 . $3\frac{1}{2}$. *$6\frac{1}{2}$. | $3\frac{1}{2}$. $3\frac{1}{2}$. $4\frac{1}{2}$. denique incerti numeri periodus nec tamen minor quam sex.

Illud $6\frac{1}{2}$ stellula signatum continet locum corruptum 78. Ἄρης δ' οὐκ ἔνι χώρᾳ | τό θ' ὑπεργήρως. Sed τό θ' vel quidquid aliud est a grammaticis videtur ad hiatum vitandum ita mutatum esse, qua de caussa eadem Ag. 1574 δ' insertum invenitur. Aeschylus enim genere masculino dixit ὅ θ' ὑπεργήρως, quod ἀρείων requirit. Et in illo χώρᾳ obscuro nihil aliud inesse videtur nisi χῶρα i. e. καὶ ὥρα. Hiatus denique indicio est, aliquid intercidisse, nempe versum paroemiacum, quem grammatici tollere solent. Tum $6\frac{1}{2}$ fit $3\frac{1}{2}$ et 4 quae hypermetra apta sunt ad ea, quae antecedunt, in hunc modum.

$7\frac{1}{2}$. 6 . $4\frac{1}{2}$. $7\frac{1}{2}$ | 4 . $3\frac{1}{2}$. $3\frac{1}{2}$. 4 | $3\frac{1}{2}$. $3\frac{1}{2}$. $4\frac{1}{2}$. 6.

a *b* *c* *a′* | *d* *e* *e′* *d′* | *f* *f′* *c′* *b′*

Trium igitur partium media antithetica est itaque in se ipsa continetur, prima et tertia ita compositae, ut sententiae eae, quae propriae unius cuiusque partis sint, in eo ipso inter se binis periodis respondeant, ut *a* et *a′*, quibus exitus Atridarum bellicus eorundemque ipsae pugnae describantur et *f f′*, quibus Clytaemnestrae adventus et immolationes exprimantur; contra periodus *b*, qua vultures anxie circumvolitantes depingantur bene ei conveniat, qua animus inter spem metumque incertus haerens; denique ei periodo, qua de dis agatur iratis poenamque mittentibus, respondeat altera, qua de aris ad deos placandos flagrantibus. Habemus igitur, ut partem mediam mittamus, periodorum quattuor paria idoneo ordine mixta sic

a *b* *c* *a′* | *f* *f′* *c* *b*

in quo prioris partis finis repetita prima periodo bene indicatur.

§. 23.

De ceteris parodicis versibus atque de episodicis.

I. De *Antigonae* parodo cf. Boeckhium ed. alt. p. 228 sq. et ante iam p. 223.

In parodo *Philoctetae* v. 144 sq. versus 162 δῆλον ἔμοιγ' ὡς φορβῆς χρείᾳ non recte se habet. Nam cum post ὡς procliticum incidi non possit, vitium est laesae caesurae primariae; quare verba illa supervacanea δῆλον ἔμοιγ' ὡς delenda esse putaverim. Quo fit, ut Neoptolemi verba 162—168 eis respondeant, quae ante 144 — 149 dixerat. Contra

verba, quae versibus alternis 158—161 responderunt, fortasse interciderunt.

Parodus *Troadum* 98 sq. incipit ab anapaestis legitimis, quae sunt hypermetra bina inter se paria. Nam v. 114, qui in libris hic est: *νῶτ' ἐν στερροῖς λέκτροισι ταθεῖσα* illud *νῶτ' ἐν* quod sententia idonea caret, nolo auctore Musuro in *νῦν τ' ἐν* mutare, sed plane eiicere, quo facto haec est repetitio 7 . $4\frac{1}{2}$. $4\frac{1}{2}$. 7.

Ion. 82 sq. certa ratio non liquet, quod textus admodum interpolatus est, cf. supra §. 10.

Denique parodi Hippolyti 176 et Med. 96 periodis imparibus compositae esse videntur, quae componendi ratio ad animi summam, quae his locis depingitur, perturbationem exprimendam aptissima est. Atque similiter Hecubae 98—153 anapaesti parodici comparati videntur.

II. Certa *episodicorum* respondentium non multa sunt exempla. *Pers. 140* fortasse ita distingues $3\frac{1}{2}$. 5 . 5. Nam versus 152 non malam Hermannus proposuit scripturam: *βασίλεια δ' ἐμή, προπίτνω, προπίτνω.*

Eur. suppl. 980. has periodos continent $3\frac{1}{2}$. 3 . 3; *ibid.* 1113, dum modo *ἰώ* bis ponatur, $4\frac{1}{2}$. $4\frac{1}{2}$.

Denique *Ag.* 782—809 Hermannus repetitionem aliquam invenisse sibi visus est. Sed versus illi tam corrupti et lacerati sunt, ut ne Hermanni quidem sagacitati emendatio probabilis contigerit.

Itaque responsio episodicorum non tam certa videtur quam parodicorum et, ut videbimus, finalium. Nam ut agamus

§. 24.
de finalibus,

Sept. 1066-fin. ex quo Guil. Dindorfius finem bene redegit *κύματι φωτῶν κατακλυσθῆν*, apta est responsio $2+4=2+4$. An ea quoque quae antecedunt inter se respondent, dummodo v. 1055 *Κῆρες Ἐρινύες* eiiciamus? $5\frac{1}{2}=5\frac{1}{2}$.

De Ag. 355 iam vidimus $5=5$. p. 16 sq.

De *Ag.* 1331 sq. postquam Weilius et Keckius diu contenderunt, cf. Iahni annal. 79 p. 729 ib. 87 p. 158. et p. 389, id unum effectum est, ut sententia v. 1337 paroemiaco finienda esse videatur. Nam aliud quod Weilius contendit anapaestos et iambos vel trochaeos inter se respondere, ut hoc loco, sic etiam choeph. 1065, alias, non probo, cf. Keckium Iahni annal. 1863 p. 153. Item paroemiacum quem lenissima quidem mutatione Weilius constituisset *θεότιμος δ' οἴκαδ' ἱκάνει* non esse satis numerosum vidimus. Sed ipsa responsio nos docet post *θεοτίμητος δ' οἴκαδ' ἱκάνει* dipodiam catalecticam excidisse, ut *θεοτίμητος δ'* | *οἴκαδ' ἱκάνει καὶ ἄριστος*. Sunt enim haec 4. 3. 3. 2. Atque aptissimum est quod ultimum systema a primo duobus dimetris superatur, quo magis praeter exspectationem atque ex necopinato Agamemnonis vox aures perstringat.

Choeph. 855 bene inter se respondent, modo 861 *Ἀγαμεμνονίων* a grammaticis ad explicandum *οἴκων* adscriptum putemus, quod idem

factum saepissime invenitur, ut Ag. 184 Ἀχαιικῶν ad νεῶν positum istis ipsis debetur: $3\frac{1}{2}$. $3\frac{1}{2}$. 3 . 3.

Eum. 307 eum, quem a numero laxiore primi dimetri indicatum vidimus, defectum dipodiae modum non excedere repetitio docet. Fortasse igitur initium hoc est ἀλλ' ἄγετ' ἤδη καὶ χορὸν ἡμεῖς | ἅψωμεν cet.: 3 + 2 . 4 . 2 + 3.

Sept. 822 sq. quamquam valde mutilata haec hypermetra sunt, responsionem licet etiam nunc perspicere.

ὦ μεγάλε Ζεῦ καὶ πολιοῦχοι | δαίμονες, οἳ δὴ Κάδμου πύργους |
τούσδε ῥύεσθε ⏑ ⏑ – –,
πότερον χαίρω κἀπολολύξω | σωτῆρι πόλεως ἀσινείᾳ,
ἢ τοὺς μογεροὺς ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – κλαύσω πολεμάρχους;
οἳ δῆτ' ὀρθῶς κατ' ἐπωνυμίαν | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – καὶ πολυνεικεῖς | ὤλοντ'
ἀσεβεῖ διανοίᾳ. 3 + 2 = 2 + 3.

Restant apud Aeschylum *choeph. 719* et *1065*, de quibus utut iudicabimus, illud unum Godofr. Hermanno concedendum erit 1069 τε Θυέστου frigidam efficere orationem. Atque quum τε ineptum sit, quidni Θυέστου glossema sit ad παιδόβοροι μόχθοι τάλανες adscriptum, ut Ag. 184 Ἀχαιικῶν, choeph. 861 Ἀγαμεμνονίων? Quo fit, ut par sit horum anapaestorum numerus, id quod casui tribuendum non putaverim.

$$2\tfrac{1}{2} + 7 = 2\tfrac{1}{2} + 7.$$

De *Aiacis fin.* 5. 5. chor. v. A. Nauck. philol. 12. p. 638. Denique *Eur. Med. 1081* sq. haec sunt $8\frac{1}{2}$. $7\frac{1}{2}$. $7\frac{1}{2}$. $10\frac{1}{2}$. An interpolatio latet in versibus 1107 et 1108 offensione minime vacantibus καὶ δὴ γὰρ ἅλις βίοτον εὗρον σῶμά τ' ἐς ἥβην ἤλυθε τέκνων cet., ut sit $8\frac{1}{2}.7\frac{1}{2}.7\frac{1}{2}.8\frac{1}{2}$.

Ceterum haec parodicorum et finalium anapaestorum responsio eo iuvatur, quod eos,

§. 25.

qui inter carmina lyrica ponuntur,

item inter se respondere videmus. Ut de Agamemnonis commo 1448 taceam, quippe qui sit lacunosus, *choeph. 306* initium fit ab anapaestis finalibus, ad quos extremo commo reditur, v. 476. interiectis inter diversas chori Orestis Electrae strophas anapaestis, qui sunt legitimi, nisi v. 401 χυμένας ἐς πέδον (an scribere malis χυμένας πεδίονδ'?) 3 . 3 . 3. cantica. 5. cant. 3 . 5. cant. 5. cant. 3. Sunt periodi tres quinque membrorum, quinque trium, nisi quod in primo hypermetro dipodia deest.

De *Eum. 916* sq. cf. Weilium Iahni ann. 83 p. 382. Consentimus enim cum Hermanno, qui post 938 dipodiam catalecticam excidisse suspicatus est:

a . 7 . 3 . *a'* . 7 . *b* . 7 *b'* . 7 . *c* . 7 . 3 . *c'*.

Atque omnia sunt ad regulas severissimas instituta praeter v. 949, quo verba πόλεως φρούριον corrupta esse Meinekius probavit et v. 993 καὶ γῆν καὶ χθόνα, ubi neglegentia quadem γῆν fortasse pro χθόνα scribi potuit.

Denique apud *Euripidem* — nam de Sophocleae Antigonae parodo et eiusdem fabulae v. 817. 834 cf. Boeckhium ed. alt. p. 253. — ea hypermetra,

quae *Androm.* 515. 537 ad epodicum illud 494 applicantur, sicut stropha et antistropha, quae utrique antecedunt, inter se respondent $7\frac{1}{2}=7\frac{1}{2}$. *Alc.* 860—871 repetuntur 878—889. atque qui versus eiusmodi sint 895. et 911., mirum est non inter se pares esse.

Itaque, ut omnia comprehendamus, responsionem maxime Aeschylus excoluerat. Sophocles autem et Euripides eam minus curaverunt eamque omnino uterque non persecutus est, nisi in prioribus fabulis (nam de Philoctetae parodo rem dubiam esse vidimus), maximeque in Alcestide, Medea, Andromacha, Troadibus, Hecuba, quae fabulae ante Ol. 97 vel non multum post scriptae sunt.

Cap. IX.

De tetrametro et hypermetro comico.

§. 26.

De tetrametri contractionibus et dissolutionibus.

Cum disputatio nostra usque ad hunc locum processerit, de tetrametro Aristophaneo — nam qui sunt ceterorum comicorum anapaesti pauciores sunt quam ut certas eorum leges agnoscas — brevius absolvi poterit. Etenim leges syllabarum solutionis earumque contractionis eaedem comicorum sunt atque tragicorum anapaestorum. Inde iam intellegis, quae sit neglegentia Rossbachi et Westphali qui id quod *Porsonus* p. 46 dixit tetrametros in tribus prioribus locis praeter anapaestum et spondeum dactylo uti, sic vertant II^2 p. 404: „die Auflösung der Länge gestatten sich die Komiker *gleich häufig für die drei ersten Takte* der ersten Reihe.“ Immo dactylus in sede secunda sicut in quarta raro ponitur neque aliter, nisi item antecedit. Dactyli enim in primo loco sunt 236, in tertio 215, contra in secundo 18, in quarto 2. At de duobus illis quartae sedis dactylis uni antecedit dactylus*) *vesp. 350.* *ἔστιν ὀπὴ δῆϑ', ἥντιν' ἂν ἔνδοϑεν οἷός τ' εἴης διορύξαι*, itaque non mutandus, alter sane corrigendus est *nub. 326.* simplici modo. Nam cum *ἐς* ab Aristophane usurpetur, non intellego, cur verba non sic emendentur: *ὡς οὐ καϑορῶ. Σω. παρὰ τὴν ἔσοδον. Στρ. νυνί γ' ἤδη μόλις οὕτως* (libri *εἴσοδον. ἤδη νῦν*).

Denique de 18 secundi loci dactylis undecim dactylum habent antecedentem. Restant igitur septem, qui fere omnes lenissimam emendationem admittunt *eccl. 660.* *πολλῶν εἵνεκα* immo *οὕνεκα πολλῶν* ut nub. 422 *οὕνεκα τούτων*. Nam Aristophanes nusquam *εἵνεκα* dixit, sed *οὕνεκα* aut *ἕνεκα*. Eodem modo licet *vesp. 708* transponere *τούτων εἴκοσιν ἄνδρας βόσκειν*, quam quidem transpositionem loci Aristophanis permulti huius formae – ⏑ ⏑ | – – suadent, quales sunt av. 709 *φαίνομεν ἡμεῖς ἧροι.* Plut. 521 *ἔμπορος ἥκειν ἐκ.* equ. 334. nub. 357.

---

*) Nam de vesp. 397 *ὦ μιαρώτατε* iam vidimus et vesp. 673 in quarta sede a Porsono correctus est: *ὡς ἥσϑονται* (libri *ἥσϑοντό γε*).

405. 998. 1001. vesp. 1030. 1054. av. 460. 483. 721. 727. 1745. Lys. 495. 498. 514. thesm. 816. ran. 356. 1013. 1095. 1509. 1519. Plut. 565 cet. *equ. 524* οὐκ ἐξήρκεσεν, ἀλλὰ τελευτῶν ἐπὶ γήρως . . ἐξεβλήθη. nisi totus ille versus eiiciendus est, hic est οὐκέτ' ἐπήρκεσεν.

nub. 351 τί γὰρ, ἢν ἅρπαγα τῶν δημοσίων κατίδωσι Σίμωνα, τί δρῶσιν; muta, quaeso, ἢν ἄρα γ' ἅρπαγα τῶν cet. *eccl. 677* τὰ δικαστήρια καὶ τὰς στοιὰς ἀνδρῶνας πάντα ποιήσω potius scribas ἀλλὰ δικαστήρια καὶ στοιὰς ἀνδρῶνας πάντα ποιήσω. *vesp. 673* οἱ δὲ ξύμμαχοι, ὡς ἤσθονται est οἱ δὲ ξένοι ὡς εἰσήσθονται. Socii enim ab Aristophane saepissime ξένοι dicuntur, cf. equ. 324. 1408. pac. 643.

Restat unus locus *nub. 409* ὤπτων γαστέρα τοῖς συγγενέσιν, ubi γαστέρα fortasse glossema est quod sit vocabulum Homerici et Alexandrini temporis, (nempe in hac significatione).

Ceterum formas proceleusmaticas ab his anapaestis abhorrere Porsonus p. 50 praecepit, cui omnes assensi sunt. Hermann. el. p. 402. Rossb. Westph. II[2] p. 404.

§. 27.

De versuum comicorum caesuris tragicis.

Item dictum iam est caesurarum in universum easdem esse quas in tragoedia rationes. Nam 1232 tetrametrorum Aristophanis anapaesticorum, nisi ratio me fefellit, qui tragico modo inciduntur, sunt 1146. Eorum autem, qui supersunt, 86 sunt 26, quorum indoles comica eo continetur, quod finiuntur copula καί vel interiectione ὦ, fortasse etiam pronomine relativo ὅς uno saltem loco (equ. 526 μεμνημένος ὅς). Illud ὦ saepissime elisione attrahitur, ut nub. 268. 293. vesp. 556. ἔλθετε δῆτ', ὦ |. Atque in illo καί particulae usu quodammodo ipse Aeschylus praeivit, qui Pers. 47 semel versum talem δίρρυμά τε καὶ | τρίρρυμα τέλη certo ut videtur consilio composuit. Sic av. 461. καὶ μὴν ὀργῶ νὴ τὸν Δία καὶ | προπεφύραται vesp. 650. 608. 386. 393. nub. 984.

Quo accedit, quod poetae comici speciem neglegentiae in singulis quibusdam imitantur, id quod praeter καί et ὦ usum maxime in articulo valet. Nam sicut duo enclitica vel proclitica partem orationis per se quandam efficere possunt, sic etiam articuli duo casus ita inter se possunt applicari, ut pro vi comica satis habeant ponderis ad scansionem explendam, ut uno loco fit equ. 1330 δείξατε | τὸν τῆς | Ἑλλάδος ὑμῖν καὶ τῆς γῆς τῆσδε μόναρχον. Immo post unam iam solam articuli formam incisum videtur *Lys. 564.* ἐδιδάσκετο τὴν | ἰσχαδόπωλιν.

Similis est *hypermetri comici* segnities, ut hoc statim addam. Nam, καί et ὦ eodem loco ponuntur, ut vesp. 1488 μυκᾶται καὶ |, item articulus pac. 979 ἅπερ αἱ | μοιχευόμεναι. ran. 1521 post εἰς τὸν | inciditur: μηδέ ποτ' εἰς τὸν | θᾶκον | τὸν ἐμόν. Contra nub. 1521 κλαύσει, εἰ τὴν χεῖρ' ἐπιβάλλει corruptum esse ex hiatu intellegitur.

Contra etsi interdum articulum et ad quod ille pertinet nomen cae-

sura dipodica separare licet, id tamen ipsum non fieri ea caesura, qua dimeter acatalectus et paroemiacus disiunguntur, Porsonus p. 48 observavit, quae res eadem est, si praepositio est. Mutavit enim recte nub. 372. ran. 1026. Ach. 636, quos locos Hermannus p. 398. Rossb. Westph. II[2] p. 405 repetierunt.

At idem Porsonus p. 47 iniuria caesuram quae est post primam paroemiaci brevem syllabam delere vult, quam Hermannus p. 398 defendit admittendam esse eadem ratione, qua in hypermetris comicis inter singulos dimetros restituimus, cf. §. 20. fin. Exemplum Hermannus iam contulit av. 600, cui Rossb. Westph. II[2] p. 405 adiunxerunt vesp. 568. nub. 987. Plat. Symmach. v. 2. Calliae Cycl. fr. 2.

§. 28.

De comicis tetrametri caesuris in universum.

Habemus 1146 tetrametros tragici coloris, 26 fere tragicas servantes caesuras laxiore quodam modo. Itaque cum omnino Aristophanis 1232 tetrametri sunt, *58* restant, qui caesuras dimetri acatalecti tragici dipodicam et trochaicam repudiant atque ad paroemiaci similitudinem feriuntur.

Id propterea maxime fieri potuit, quod tetrametris comicis non iam ipse progressus temperatur, ut in illis tetrametris embateriis, in quibus, quoad perspiciam, ne diaeresis quidem unius cuiusque pedis laeditur. Atque id quoque cum paroemiaco tragico commune est, quod dactylus caesura dipodica vel eiusdem sedis trochaica laesa vitatur, nisi si nomen plurium syllabarum proprium in versum quoquo modo coartandum est duobus his locis

nub. 353 *ταῦτ᾽ ἄρα, | ταῦτα | Κλεώνυμον*
av. 566. *ἢν δὲ Ποσειδῶνί τις | οἶν | θύῃ.*

vel una vox multarum syllabarum alia, quam nullo modo licuit circumscribere vel evitare *δικαστήριον* locis his

equ. 1317 *καὶ τὰ δικαστήρια | συγκλείειν.*
vesq. 595. *εἴπῃ τὰ δικαστήρι᾽ ἀφεῖναι.*

Quibus ex coniectura tertium locum addidimus eccl. 677:
ἀλλὰ δικαστήρια | καὶ στοιάς.

Contra recte Bergkius scripsit nub. 423 *ἄλλο τι | δῆτ᾽ οὖν· | νομιεῖς | ἤδη* interpunctione addita pro eo quod plerique omnes probaverunt *ἄλλο τι δῆτ᾽ οὐ νομιεῖς ἤδη.*

Denique fugere nos non potest, Aristophanem ab illis solitis incisionibus non recedere, nisi si consilium est orationem relaxare. Nam simul atque oratio assurrexit coloremque paene tragicum adsumpsit, caesuras comicas adhibere noluit. Id quod verbi caussa observatur in sermone illo Aeschyli, Euripidis, Dionysi ran. 1004 sq., ubi Aeschylus caesuris tragicis solis utitur, nisi uno loco 1053 *Μουσαῖος δ᾽ ἐξακέσεις τε | νόσων*, cuius excusatio in nomine proprio et elisione est; contra Dionysus caesuras comicas adhibere solet, cf. 1228. 1248.

Ceterum caesurae hae comicae usque adhuc a nullo perlustratae sunt, nisi quod Godofr. Hermannus el. p. 399 sq. protulit. Sed is mihi

minime satis facit. Nam neque omnes complexus est locos neque certam disponendi explicandique rationem assecutus est.

Ut exemplum afferam, formam hanc ⏖ – ⏑ ⏑ | – ⏖ – ⏖ – distinguit inter eos versus, qui tertiam pedem habent anapaestum ⏑⏑–⏑⏑ | –⏑⏑–⏑⏑– et inter eos, qui in tertia sede spondeum praebent ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – – – ⏑ ⏑ –. Quam quidem nullam esse rationem ex eo iam intellegitur, quod exemplorum utriusque formae numerus non multum distat. Itaque cum utraque forma legitima sit, haec non summa eius incisionis ratio est. At de secundo pede quaerendum fuisse videbimus. Quod cum ita sit, operam me perdere non puto, si omnia unius cuiusque incisionis exempla citabo. Nam tum statim perspicitur,

§. 29.

singulae caesurae quibus locis nitantur.

Atque primum quidem caesura post arsim dipodiae secundae priorem migrat, cuius quidem incisionis bonam rationem esse in paroemiaco iam intellectum est.

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ dip. anap. hypercatal.
– ⏑ ⏑ – dip. dact. catalect.

quae caesura *duodecies* invenitur. Qua in re nihil interest, utrum alter pes anapaestus sit an spondeus. Sed rationem statim demonstrare licet, quam poetae in talibus caesuris secuti sint quamque Hermannum non perspexisse initio iam dixi. Nam dipodias spondiacas non post arsim, sed post thesim incidi vidimus. Ita e contrario poetae curaverunt, si post arsim feriretur, ut illa ipsa arsis, post quam incisio fieret, puris numeris uteretur neve contractione duarum brevium syllabarum obscuraretur. Dipodia igitur anapaestica pura facile post primam arsim inciditur ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ –, spondiaca eadem in sede feriri non sine magno perspicuitatis detrimento potest. Quae eadem caussa est, cur caesura hypercatalectica semper haec sit: ⏖ – ⏖ – ⏑ ⏑ | – ⏖ –, neque vero illa ⏖ – ⏖ – – | – ⏖ –, cuius formae in tetrametris omnino nullum est exemplum.

Ceterum omnes arses possunt praeter hanc unam contrahi. Valet enim in universum haec lex, ut quo longius pes spondeus ab incisione absit, eo minus numeri perspicuitas affligatur, dummodo illa arsis, cui caesura subiiciatur, pura sit. Quare intellegitur, cur ultima arsis bis tantum contracta sit nub. 996. pac. 737, at vero pes primus, quippe qui longissime ab incisione primaria absit, semper spondeus sit praeter duos locos, av. 503 et eccl. 681, in quo quidem loco ultimo secundus pes contractus sit τὰ δὲ κληρωτήρια |. Itaque

I. *caesurae hypercatalecticae* hae singulae formae sint:

a) sine caesuris secundariis: bis – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – – – nub. 996. pac. 737.

b) in altera parte, quae prima abrepta arsi deminuta est, nulla esse solet caesura (8) nub. 364. 394. 996. vesp. 1044. pac. 737. av. 719. eccl. 681. Lys. 494, nisi si trochaica (4) nub. 355. av. 503. 549. 551.

c) in priore dipodia hypercatalectica, quae arsi illa tertia augetur,

semper inciditur praeter tres locos pac. 737. nub. 996. eccl. 687; sive est primi pedis diaeresis – – | ◡◡ – ◡ ◡ (8) nub. 355. 364. 394. vesp. 1044. av. 488. 503. 549. Lys. 494. sive eiusdem pedis trochaica caesura (2) av. 551. 719.

II. Sicut in paroemiaco aliquanto liberiore post alteram arsim perculi potest, sic etiam tetrametri anapaestici tetrapodiae acatalectae haec est scansio ◡◡ – ◡ ◡ | – ◡ ◡ – ◡ ◡ – (18), quae ipsa forma

a) sine caesuris secundariis bis invenitur vesp. 552 *ὃν πρῶτα μὲν ἕρποντ' ἐξ εὐνῆς*. equ. 1326 *ὄψεσθε δέ· | καὶ γὰρ ἀνοιγνυμένων.*

b) duobus locis caesura in sequenti pede trochaica est av. 685 *ἄγε δὴ φύσιν | ἄνδρες | ἀμαυρόβιοι.* thesm. 948. *ὅταν ὄργια | σεμνὰ | θεαῖν | ἱεραῖν*, ad similitudinem paroemiaci Aeschylei Ag. 1467. *ἀξύστατον | ἄλγος | ἔπραξεν*, nisi priore loco etiam post *ἄγε δή*, altero post *ὅταν* et post *θεαῖν* caeditur.

Sed frequentissima forma est

c) ea, quae tertii pedis habet diaeresim, in qua arsis ultima semper contrahitur, minus prima ◡◡ – ◡ ◡ | – ◡ ◡ – | – –, duobus locis etiam tertia – – ◡ ◡ | – – – | – – vesp. 579. nub. 989. Loci enim huius formae ◡◡ – ◡ ◡ | – ◡ ◡ – | – – sunt hi undecim: nub. 274. 967. 972. equ. 530. vesp. 598. 652. 774. Lys. 491. 554. 582. Plut. 519.

d) Ceterum unus locus est, ubi pro tertii pedis diaeresi caesura post tertiam thesim trochaica est *vesp. 571. ὥσπερ | θεὸν | ἀντιβολεῖ με | τρέμων*, quo incisio post *ὥσπερ* tertia accedere potest.

Postremo alteram, post quam feritur, arsim ex ea, quam de caesura hypercatalectica vidimus, ratione non contrahi exspectabis.

Sed quamquam facile mutabis nub. 371 *καίτοι χρῆν αἰθρίας ὕειν αὐτόν· καίτοι γ' ὕειν χρῆν αἰθρίας*. vesp. 357. *ἥβων γὰρ κἀδυνάμην κλέπτειν* in *κἀδυνάμην γὰρ κλέπτειν ἥβων.* — *ib. 727 ὥστ' ἤδη τὴν ὀργὴν χαλάσας* in *ὡς τὴν ὀργὴν ἤδη χαλ.* equ. 770 *ἑψοίμην ἐν περικομματίοις* in *περικομματίοισιν ἐνεψοίμην*, tamen restant tres loci nub. 350. *σκώπτουσαι | τὴν μανίαν | αὐτοῦ.* ib. 976 *εἴδωλον | τοῖσιν ἐραισταῖσιν.* ran. 1063. *πρῶτον μὲν | τοὺς βασιλεύοντας*, quos quidem locos eo minus mutare audeo, quod in ista ipsa sede cum haec sit forma paroemiaci comici initio ◡◡ – – | – ◡ ◡ – orationis languor quidam atque remissio a poetis comicis optimo consilio quaeri videtur. Contra ran. 1033 et 1053 elisione excusantur.

III. Caesura primaria deest, pro qua duae sunt secundariae (20). Atque frequentissima est

a) forma ea, cuius sunt pedum primi et tertii diaereses:
◡◡ – | ◡◡ – ◡ ◡ – | ◡◡ – Atque tum arsis tertia semper soluta est (9). nub. 336. 380. 990. 1000. av. 696. vesp. 381. 573. 587. ran. 1061. Contra vesp. 564 huc non pertinet, de quo infra videbimus. Ach. 645. ex Hermanni transpositione talis esset *ὅστις | παρεκινδύνευσ' εἰπεῖν ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια.* Quare ad Porsoni coniecturam refugio procul dubio elegantiorem: *ὅστις γ' εἰπεῖν παρεκινδύνευσ' ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια.* — Atque saepius pro diaeresi primi pedis est

b) caesura post primum pedem trochaica. Tum in tertia sede ana-

paestus non tam necessario requiritur, quod semper arsis, quae est pedis antecedentis, bisyllaba esse debet, contra primus pes semper spondeus est. (7). – – ⏑ | ⏑ – ⏑⏑ – | ⏑⏑ – Ach. 637. equ. 1321. nub. 346. vesp. 611. 712. av. 687. pac. 742.

c) Denique si utraque caesura trochaica est, prima et tertia arses semper sunt monosyllabae – – ⏑ | ⏑ – – – – ⏑ | ⏑ – Lys. 485. 519.

Sic etiam versus nub. 374 scandi videtur ἀλλ' ὅστις | ὁ βροντῶν ἐστι, | φράσον. Sed formae huius casu factum videtur, ut non esset exemplum ⏑⏑ – | ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ | ⏑ –

IV. Desunt caesurae et primaria et prioris partis ita, ut in sola parte posteriore caedatur. Atque

a) diaeresis est octo locis, contracta semper arsi ultima, ne particula illa pro totius tetrapodiae ambitu iusto levior sit ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – | – – equ. 516. 1323 nub. 425. 1005. vesp. 546. 728. Lys. 577. eccl. 616, nisi si vesp. 564 οἱ μέν γ' ἀποκλάονται | πενίαν et ex Porsoni coniectura Ach. 645 huc trahere vis, de quibus modo diximus.

b) Semel post priorem ultimae arsis correptam syllabam caeditur – – – – ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ran. 1033.

Hae rationes sunt, quas incisionum tetrametri comicarum esse puto. Atque res ipsa eam, quam inii, viam recte me ingressum esse docet. Nam omnes, qui huc faciunt, loci cum illa congruunt. Omnino enim unus locus restare videtur ab omni ratione alienus *nub.* 437. δράσω | ταῦθ' ὑμῖν | πιστεύσας; fortasse δράσω τάδε | πιστεύσας | ὑμῖν. Videmus enim versus, qui solis spondeis constant, semper diaeresi, maximeque in sede tertia, nisi si dipodica, uti, numquam caesura quae est post arsim contractam.

§. 30.

Paroemiacus comicus

I. caesuras dipodicam et trochaicam primarias saepissime habet. Nam centenorum exempla sunt sexagena quina. Atque tum primus pes dactylo exprimi potest, sive est dipodica diaeresis, ut vesp. 707 τὸν φόρον | ἡμῖν | ἀπάγοντες, sive trochaica incisio primaria, ut Ach. 658 ἀλλὰ τὰ βέλτιστα | διδάσκειν. Si aliae atque hae sunt incisiones, nullus dactyli locus est.

II. In comoedia caesura hypercatalectica paroemiaci paullo frequentior est, quam in tragoedia; aliquanto saepius etiam sola primi pedis diaeresis invenitur. Sunt enim centenorum locorum seni, qui caesura hypercatalectica primique pedis diaeresi utuntur ⏑⏑ – | ⏑⏑ – ⏑ ⏑ | – –, quaterni, qui sola primi pedis diaeresi ⏑⏑ – | ⏑⏑ – ⏑ ⏑ – – –. Tertia enim arsis ut in tragico paroemiaco bisyllaba est, cf. supra §. 16. init.

Denique unum exemplum est solius hypercatalecticae*), eiusdemque laterum cum primi pedis trochaica ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – ⏑ ⏑ | – – vesp. 384.

*) eccl. 681.

III. Nec paroemiacus comicus ab hac incisione abstinuit, quae est post secundam arsim bisyllabam ◡◡ – ◡ ◡ | – ◡ ◡ – – quam uno loco in commi tragici anapaestis invenimus. Nam centenorum sunt undena exempla, maximam partem ea, quae caesura alia secundaria destituta sunt (7). Ceterum cum hac incisione duae aliae coniungi possunt, hypercatalectica et post alterum pedem trochaica, quarum illa paullo frequentior esse videtur (2), haec rarior (1). Denique interdum post anacrusim incisum est

◡ ◡ | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ – –

Usque adhuc caesuras easdem esse paroemiaci comici, quas tragici videmus. Sed accedit alia caesura, quae maxime a tragico, quem intelleximus, colore differt, quae est post alteram arsim contractam incisio admodum frequens – – – | – ◡ ◡ – –, quae quidem comoediae optime convenit. Nam ea ipsa re, quod non post thesim inciditur, sed post arsim contractam, summa exprimitur numeri retardatio, quae a tragoedia plane aliena est. Atque languor ille orationis adiuvatur prima quoque arsi contracta. Forma enim, qua illa non contrahitur ◡ ◡ ⊥ – | – ◡ ◡ – –, cum haec – ⊥ – quindecies, semel tantum invenitur. Atque de caesuris, quae sunt in hac forma, ceteris ut rem absolvamus, inter exempla sena dena undecies hanc solam inveneris, semel cum utraque hac sociatam – – – | – ◡ ◡ | – – (cum hypercatalectica) et – – – | – ◡ | ◡ – – (cum trochaica, quae est post secundum pedem, incisione).

IV. Denique sicut in paroemiaco tragico, ita in comico quoque eadem lex valet, ut primus pes non sit dactylus, nisi sint caesurae dipodica et trochaica primariae. Quae quidem lex, quam in prima tetrametri parte propter ipsorum nominum asperitatem quinque sexve locis laesam vidimus, in altera eius parte i. e. in paroemiaco sine ulla exceptione observata esse videtur.

Nam minime contra eam loci faciunt quales sunt hi, dummodo recte caedas: Lys. 516. *τοιγὰρ* | *ἔγωγ᾽ ἔνδον* | *ἐσίγων*. Propter elisionem enim *ἔγωγ᾽ ἔνδον* coniunguntur. Vesp. 1029: *ἀνδραρίοις φησ᾽* | *ἐπιθέσθαι*. Nam ante encliticum *φησὶ* caedi non potest. equ. 533 *ἀλλὰ γέρων ὤν* |. nub. 365 *ἀλλὰ δὲ* | *πάντ᾽ ἐστὶ* | *φλύαρος*.

Atque Lys. 507 librorum scripturam *ἡμεῖς τὸν μὲν πρότερον πόλεμον τὸν χρόνον ἠνεσχόμεθα* malo cum Bergkio sic mutare *ἡμεῖς τὸν μὲν πρότερον πόλεμον καὶ τὸν χρόνον ἠνεχόμεσθα* vel *πολέμου χρόνον ἠνσχόμεθ᾽ ὑμῶν* quam cum Persono *καὶ χρόνον ἠνέσχόμεθ᾽ ὑμῶν*. Alioquin enim dactylus esset, quamquam caesura esset hypercatalectica.

Vesp. 383 scriptura librorum *ἀμυνοῦμέν σοι τὸν πρινώδη* | *θυμὸν ἅπαντες καλέσαντες* non erat mutanda in *θυμὸν ἅπαντ᾽ ἐκκαλέσαντες*.

Ceterum unus, opinor, locus mihi corrigendus est *Plut. 586*. *καίτοι χρυσῷ* | *μᾶλλον ἐχρῆν, εἴπερ ἐπλούτει*, ubi scribendum est *μᾶλλον χρῆν, εἴπερ ἐπλούτει*. Aristophanes enim *χρῆν* dicit thesm. 793 *οὓς χρῆν σπένδειν*. 843. ran. 1158. Plut. 586. equ. 535. ran. 1058. pac. 1050. Lys. 527, ut potiore iure dubites, num *ἐχρῆν* omnino ab Aristophane dictum sit. Accedamus ad ultimum, quod mihi proposui, hypermetrum comicum absolvendum. Atque cum de caesuris, quae cum tragoedia communes sunt §. 27 itemque de paroemiaco comico modo verba fecerimus, restat, ut agam

§. 31.

de hypermetri comici dissolutionibus contractionibusque atque de eius caesuris comicis.

I. Ac primum quidem dissolutionis syllabarum atque contractiones ut spectemus, easdem esse comoediae formas quas tragoediae iam diximus. Singulae igitur dipodiae his sex formis variantur notissimis:

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – . – – ⏑ ⏑ – . ⏑ ⏑ – – – .
– – – – . – ⏑ ⏑ – – . – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ .

Eodem iure, quo in tragoedia, etiam in comoedia dipodiae, quae dactylum in altera sede eodem non antecedente praebent, removendae sunt. Quamquam quattuor loci obstare videntur. Sed his facillimae sunt transpositiones hae: *pac. 1010.* κᾆτα Μελάνθιον ὕστερον ἥκειν εἰς τὴν ἀγοράν pro ἥκειν ὕστερον. et *vesp. 1490.* Φρύνιχος ὥς τις πτήσσει ἀλέκτωρ pro πτήσσει Φρύνιχος ὥς τις ἀλέκτωρ. Nec puto contra hanc regulam valere *vesp. 624.* ἢν γοῦν ἡμεῖς θορυβήσωμεν, | πᾶς τίς φησιν τῶν παριόντων, | οἷον βροντᾷ τὸ δικαστήριον, | ὦ Ζεῦ βασιλεῦ. Nam eiecta illa ipsa voce δικαστήριον scribe οἷον βροντᾷς, ὦ Ζεῦ βασιλεῦ. Invocatione enim Iovis indicari videtur non esse hanc sententiam „homines praetereuntes verbum tonandi de iudicum tumultu usurpare“, ad quam pluralis in ταῦθ' ἅπερ ὁ Ζεύς v. 621 non aptus est, sed hanc „illos revera Iovem tonare putare prae iudicum clamore“. Denique unus superest locus *pac.* 995. αἷς στωμυλλόμεθ' εἰς ἀλλήλους, ubi στωμυλλόμεθα glossema esse videtur verbi quod excidit rarioris, quale est στομαλίζομεθα.

Postremo in hoc anapaestorum genere dubitari potest, ei loci, qui quattuor syllabas breves inter se proximas praebent, utrum mutandi sint an defendendi. Potest enim dici id consilio a poetis comicis institutum esse, ut discrimen magis appareret, quod esset inter colorem comicum atque tragicum.

Sed ante omnia ea exempla, quae Rossbach-Westph. II²p. 408 e media comoedia afferunt, omittenda sunt. Ei enim sunt ciborum illi indices, qui sine dubio non sunt legitimis anapaestis compositi, sed liberioribus. Ea enim hyporchematica fuisse ex illo ciborum indice notissimo apparet, qui est eccl. 1167 sq., quem Aristophanes ipse dicit more cretico saltari. Itaque illi mediae comoediae anapaesti a pyrrhychiacis non alienae sunt, quales sunt av. 400, cf. Rossb. Westph. II²p. 383. et 436. — Deinde ei loci omnes, in quibus voces sunt ἱερός vel προσέχειν, nihil demonstrant, quorum sit facillima Bentleii emendatio ἱρός et πρόσσχετε, ut equ. 503. thesm. 1068. ran. 1525. av. 688. Restant quidem etiam tum quattuor loci; sed eorum unus *nub. 443* εἴπερ τὰ χρέα διαφευξοῦμαι omnino scandi non potest, ut illi quidem voluerunt – – | – ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ – – –, quod alter pes esset dactylus, primus spondeus, sed ex atticae dialecti indole τὰ χρέα metiendum est sic ⏑ ⏑ –; alter *nub. 916* διὰ σὲ δὲ (δὲ om. Ven.) φοιτᾷν οὐδεὶς ἐθέλει τῶν μειρακίων, qui volubilitatem illo

virtutis magistro indignam praebet, a Godofr. Hermanno mutatur διὰ σ' οὐ φοιτᾶν οὐδεὶς ἐθέλει. *pac.* 169 καὶ μύρον ἐπιχεῖς; mutari facile potest in καὶ μύρον ἐγχεῖς. Itaque videndus est ultimus locus *thesm.* 822. ἡμῖν μὲν γὰρ σῶν ἔτι καὶ νῦν | τἀντίον ὁ κανὼν οἱ καλαθίσκοι τὸ σκιάδειον. Is autem locus eius generis hypermetrorum est quod ad tetrametros applicatur. Atque eius eadem ut sit quae tetrametri formatio iure requiritur; quare h. l. synonyma τἀντίον et οἱ καλαθίσκοι pro glossematis ad ὁ κανών adscripta esse puto eoque magis, quod in tota hac iocosa feminarum cum viris comparatione ne de viris quidem quidquam commemoratur nisi ὁ κανών 825 et τὸ σκιάδειον 829. Itaque versum, quo de agitur, sic scribo, ut paroemiaco feminarum descriptio finiatur: ἡμῖν μὲν γὰρ σῶν ἔτι καὶ νῦν | ὁ κανὼν καὶ τὸ σκιάδειον.

II. Restat denique, ut caesuras, quae sunt a tragoedia alienae, describam. Atque duae sunt maxime rationes primariae incisionis neglegendae, prior, ut duae sint caesurae secundariae hac — — ⏑| ⏑ — ⏑ ⏑ — |⏖ — pac. 1002. thesm. 49. av. 536, quem ultimum versum Hermannus iniuria mutavit el. 375, ceterorum nullam rationem habens; altera, ut post secundam arsim bisyllabam incidatur av. 612. καὶ πρῶτα μὲν | οὐχὶ νεὼς | ἡμᾶς. ib. 523. νῦν δ' ἀνδράποδ', | ἠλιθέους, | Μανᾶς, caesura praeterea post tertiam thesim facta. — Accedit nub. 1056: κεντούμενος | ὥσπερ ὑπ' ἀνθρηνῶν, ubi etiam post priorem tertiae arsis syllabam caedi potest. Quibus adnumerabis pac. 1327. καὶ τἀγαθὰ | πάνθ' ὅσ' ἀπωλέσαμεν verbis ceteris elisione coniunctis.

Ceterum *eccl.* 696 ἐνθάδε | μεῖράξ ἐσθ' | ὡραία. | παρ' ἐμοί cet. necessario transponendum est ἐνθάδε μεῖραξ ὡραία 'στιν. Nam neglecta post μεῖραξ incisione primaria dactylus pro anapaesto poni non poterat.

Contra nub. 918 γνωσθήσει τοί ποτ' Ἀθηναίοις ante τοί non minus inciditur, quam si esset γνωσθήσει τοι.

Postremo ran. 1089. difficile est dicere, qua in sede incidatur: μὰ Δί' οὐ δῆθ', ὥστε γ' ἀφανάνθην, cum omnia sive elisis litteris sive sonis inclinatis coniungantur. — Hae sunt hypermetri comici caesurae comicae.

Atque id unum meminerimus necesse est, in hypermetris comicis eodem vel simili, quo in tetrametris, modo caesuras a tragoedia alienas eo potissimum servire, ut discrimen inter tragicam orationem, quae irrideatur, et inter sermonem comicum appareat. Velut hoc ipso loco ranarum cum Aeschylus summa animi indignatione in Euripidis impudicitiam exarsit, Dionysus de lampadephoro quodam ludit.

INDEX LOCORUM TRACTATORUM.

A. SCRIPTORES GRAECI.

B. SCRIPTORES LATINI.